3 1761 09622342 5

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/jurisprudentiaro00frst

OT. 991

184 (32)

JURISPRUDENTIA ROMANO-GERMANICA IN JURIS SCIENTIÆ CONCLUSIONES RESOLUTA, NEC NON PER CASUS PRACTICÈ DEDUCTA,

QUOS

Reſponsîs additîs elaboravit, & in

ILLUSTRISSIMA

AGNATORUM

CORONA

ET

AMPLISSIMO VIRORUM AUTHORITATE, SAPIENTIA, ET NOBILITATE PRÆMINENTIUM CONSESSU

Propugnavit 14. *Maji* 1732.

CAROLUS FRIDERICUS
Princeps de FÜRSTENBERG,

PONENTE

Prænobili & Clariſſimo Domino

GERARDO ERNESTO HAMM J. U. L.
In Alma, Catholica, & Perantiquâ Univerſitate Colonienſi Juris Publici Profeſſore publico.

Coloniæ Typis NICOLAI THEODORI HILDEN, 1732.

Ad manus A. R. D. P. Gregorij Köschinger

1351
14/6/91

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO DOMINO FROBENIO FERDINANDO S. R. I. PRINCIPI DE FÜRSTENBERG

Comiti in Heiligenberg & Werdenberg, Landgravio in Bahr & Stülingen, Libero Baroni in Gundelfingen, Domino in Hauſen Vallis Kinzinganæ, Jungnau, Trochtelfingen, Wiſenſteig, Wildenſtein, Möſskirch & Weitra &c. Aurei Velleris Equiti, Sacræ Cæſareæ & Catholicæ Majeſtatis Actuali Conſiliario Intimo, Ejusdémque ad Comitia Imperii Ratisbonenſia Legato Plenipotentiario,

Domino Parenti perquam Gratioſo!

SERE-

SERENISSIME PRINCEPS DOMINE PARENS PERQUAM GRATIOSE!

CUi, niſi PARENTI OPTIMO, inſcribat ſui laboris qualemcunque fructum Filius non ingratus? Paternus Amor Tuus, planè ſinceriſſimus, curas hucuſque omnes eò convertit, ut ab ipſis incunabilis Sancto imprimis DEI Timore ac Pietate ſolidâ imbuerer; dein ut Scientiarum quoque adminiculis, ſeu ad animi ornatum, ſeu ad juvandam ſuo tempore Rempublicam, rite efformarer; denique ut omnibus Nobilium Exercitiis aptè inſtruerer, quæ omnia ut feliciùs conſequi liceret, Magiſtros ac Duces ubique idoneos ſingulari curâ delegiſti. Tantus Gratiarum Cumulus Filium exigit gratiſſimum: Quare Tibi placere PARENS GRATIOSE! Tuis æquiſſimis deſideriis ad amuſſim obſequendo, una gaudii mei ſinceriſſimi materia eſt. Utinam placeant hæ pagellæ, non ſine labore conſcriptæ! Lovanium Autumno ſuperiore ad Studia me deſtinaveras: eò properantem Divina Providentia Coloniæ Agrippinæ detinuit; & accedente Illuſtriſſimorum Agnatorum piâ ſolicitudine Virum dedit,

qui Prudentiâ ſingulari & Labore indefeſsô minimè reluctantem Juriſprudentiæ principiis octo fere menſium ſpatio ita imbuit, ut Caſus Juridicos mille, ab ipſo dictatos, proprio Marte, calamô primùm, reſolvere, ac ſubin publicè ſuper illis reſpondere valuerim. En igitur, PARENS GRATIOSE! has Caſuum Centurias Nomini Tuo ſacras, & temporis non malè collocati teſtes! ſummis Gaudiis cumulatus incedam, ſi placuiſſe Tibi conatus meos animadvertero. Utinam majus aliquod Filialis Obſervantiæ teſtimonium exhibere poſſim! At verò cùm iſtud vires meæ in præſentiarum minimè ſinant, quidquid poſſum exhibeo. Admitte ergo, PARENS AMANTISSIME, Filii Tui qualecunque Studium, nec tam literarii hujus munuſculi tenuitatem, quàm Filialem offerentis Animum attende. Servent Te mihi boni Cœlites, PARENS OPTIME, in annos plurimos, & occaſiones miniſtrent frequentiſſimas Tibi ampliùs indies placendi, atque innumera pariter ac maxima Tua Beneficia exquiſitô Filialis Obſervantiæ Studiô demerendi: hæc votorum meta eſt, quam ubi attigero, ipſum Felicitatis apicem conſcendiſſe me arbitrabor. Perge, PARENS PIISSIME, amare ac fovere Filium

Tuis Gratiis.

Dabam Coloniæ
ex Muſéo 9. *Maji* 1732.

Devotiſſimum & Obſequentiſſimum
CAROLUM FRIDERICUM NICOLAUM
Principem de FÜRSTENBERG.

PROLOQVIVM

PROLOQUIUM.

JUriſprudentiam, *aliàs habitum, ſeu facilitatem Juris Scientiæ Concluſiones ad caſus particulares applicandi, in hypotheſi, actualem principiorum juris ad facta hìc & nunc emergentia applicationem*, Romanam, *non tantùm ex Inſtitutionibus Juſtinianeis, verùm etiam Pandectis, Codice, & Novellis, imò ex Jure Canonico, Camerali, & Criminali pro exigentiâ compilatam*, Germanicam, *cum jure patrio, & domeſtico, Conſtitutionibus nimirum Imperii, & gravium Juris-Conſultorum Germaniæ Sententiis collatam*, in Juris Scientiæ concluſiones, *tam in noſtro Compendio Inſtitutionum, Jurisprudentiæ ſtudioſis & tyronibus elaborato, in noſtrâ Colonienſi prælegi ſolito, atque annô* 1732. *typis evulgato, quàm in concluſionum theoretico-practicarum Chyliade, ab Illuſtriſſimo & Excellentiſſ. D. Franciſco Joſepho Comite Wolff-Metternich in Gracht &c. &c. Suæ Sacræ Cæſ. Majeſtati modò à Cubiculis & Conſiliis Aulicis annô* 1728. *locò ſpeciminis academici propugnatâ, ſuppeditatas*, reſolutam, *in tres partes, primam, ad ſeriem Inſtitutionum adornatam, juris elementa ad caſus applicantem, alteram, ad ſeriem Pandectarum inſtructam, actiones forenſes, & exceptiones ſubminiſtrantem, atque ultimam varios Pandectarum, & Codicis Textus reſolventem, diſtributam*, nec non per Caſus *omnino millenos*, practicè, *hoc eſt: diſcusſis ſollicitè circumſtantiis, & ponderatis Doctorum in foro verſantium conſiliis, reſolutionibus & deciſionibus*, deductam, Celſiſſimus Dominus, D. CAROLUS FRIDERICUS S. R. I. Princeps de FÜRSTENBERG *auditis ſingulari cum attentione, mirandâ ſolertiâ, & non ſatis extollendo fervore quatuor D. Juſtiniani Imperatoris, ac quinquaginta Pandectarum Libris, annotatis indefeſſò calamô, nunquam interruptô ſtudiô, & ſingulari ſolidorum principiorum jaciendorum cupidine, ad ſingulos Compendii noſtri numeros, ac Chyliadis Theſes omnes, rationibus, & interpretationibus, præ- & relectis, imò repetitis lectionibus, curſúque infra unum ſemeſtre glorioſisſimè abſolutô, exceptis, & exaratis propriâ manu caſibus*, additis*que magnô Judiciô, ac Prudentiâ ſingulari ſuis Ipſius* Reſponſis elaboravit, *verbis punctualibus, typô præſenti demonſtrandis reſolvit, unicô bimeſtri abſolvit*, atque in Illuſtriſſimâ Agnatorum, nec non Virorum, aûthoritate, ſapientiâ, & nobilitate præminentium Coronâ propugnavit. *Dabam Coloniæ hac* 12. *Maji* 1732.

GERARDUS ERNESTUS HAMM.

INSCRIPTIO

INSCRIPTIO
CELSISSIMI PRINCIPIS RESOLVENTIS HONORI SACRA.

Perge Fama!

Et orbi Erudito annuntia

Glorioſum Sacroſanctæ Themidis

Alumnum,

Muſarum oculum, Parentum delicium,

Spem certam Patriæ,

Celſiſſimum Dominum

D. CAROLUM FRIDERICUM NICOLAUM

S. R. J. Principem.
de Fürſtenberg &c.

Tutò Silebis, Fama!

Principis alia quamplurima, exquiſita,

Præcelſa decora:

Unum prædica, quod orbis literarius admiretur!

Excipe attenta

Laudis debitæ caput unicum,

Sed multò uberrimum!

Poſt Hiſtoriæ Sacræ quæſita, nondum expletô ætatis novenniô, in Corona primæ notæ Procerum amœnisſima facilitate ac felicitate reſoluta
Môſkirchii A. 1723.

Poſt

Poſt Hiſtoriam quatuor Monarchiarum mirante & applaudente literatorum amplisſimo conſeſſu in aula Academica publicè propugnatam
Dilingæ A. 1724.

Poſt Elementa Geographiæ univerſæ coram numeroſisſimo Doctorum & Academicorum cœtu, rarô exemplô, & jucundisſimô ſpectaculò præclarè explanata
Dilingæ A. 1725.

Poſt Hiſtoriam Cæſarum reſponſis eruditisſimis declaratam, gaudente Patria, gratulante Imperio, partim Môſkirchii A. 1726. partim
Ratisbonæ A. 1727.

Poſt Artis Poëticæ arcana omnia ſolidisſimè recenſita, Probante Optimatum præſentium Illuſtrisſimô calculô.
Ratisbonæ A. 1728.

Poſt Rhetoricæ, ulteriora Hiſtoriæ, Philoſophiæ univerſæ ſtudia, tum Ratisbonæ, tum Pragæ, annis 1729. 30. 31. feliciter abſoluta

Celſiſſimum Principem

Ad Sacræ Nemeſis fingendum placita

Colonienſis Univerſitas

Excepit gaudens ac Venerabunda:

Hîc Ille

Judiciô ſolidô, labore impigro, ſolertiâ indefeſsâ, exceptis ſemeſtri ſpatio juris principiis,

Bi-

Bimeſtri alio

Caſibus practicis omnino Millenis

Reſponſa optima

Ipſemet ſubjunxit, felici calamo ſcripſit,
proprio Marte compoſuit,
Glorioſisſimè propugnavit.

Plaude Orbis Literate!

Mirare Principem *Iuventutis*

Academica Juventus,

Et, ſi potes,

Imitare!

Hoc Famâ nunciâ ubique vulgandum
tuum Præconium,

Et ad ſeram poſteritatis memoriam transmittendum,

Celſiſſime Princeps!

Meritisſimis tuis Honoribus

Tenui calamo ſcripſit

Tuæ Virtutis, tuæ Induſtriæ

Annô undecimô

Teſtis continuus

Et

ADMIRATOR

Maximilianus Dufréne
Societatis Jeſu.

IN-

INSCRIPTIO ALTERA

Præn. & Clariſſimo Domino Profeſſori poſita.

I Fama, perge denuo!

Et Jurisprudentiæ alumnos, quotquot potes,

Coloniam Agrippinam voca!

Virum illis prædica

In Juris tum Civilis, tum publici ſcientia profundisſimum,

Docendi egregia & perfacili methodo præclarisſimum,

Prænobilem D. Gerardum Erneſtum Hamm J. U. L.

In Alma, Catholica & perantiqua Vniverſitate Colonienſi

Juris publici Profeſſorem publicum.

Oſtende Fama! & digitô commonſtra

Nobilis Juventutis ad ſacræ Themidos adyta properantis

Ducem hunc

Fidisſimum, peritisſimum, felicisſimum!

Exemplum recens, optimè informati Principis, commemora!

I velox, mone, inſta, hortare,

Ut Iuriſprudentiæ cupida certatim convolet

Ad Doctorem Catholicum Juventus Catholica,

Præſertim Nobilis,

Et ipſamet experimentum faciat Doctrinæ ſolidisſimæ,

Methodi facillimæ, Temporis & ſumptuum

Ingentis Compendii.

Præclaris meritis ac debitis honoribus
Præn. & Clariſſimi Domini Profeſſoris
Sinceriſſimæ Venerationis ergò ſcripſit
Maximilianus Dufréne
Societatis Jeſu.



JURISPRUDENTIÆ ROMANO - GERMANICÆ

PARS PRIMA

Ad ſeriem Inſtitutionum Juſtinianearum adornata

Concluſiones Juris Scientiæ Romano-Germanicæ ad Caſus, ſeu facta particularia applicans.

CASUS I.

A. CAſum deducit in Judicium in Inſtitutionibus deciſum v. g. negativè, in Pandectis autem affirmativè, quæritur, ex quo Jure petenda ſit deciſio? Reſpondeo: reſolutionem petendam eſſe ex Inſtitutionibus, quia hæ Jus novius continent, proindéque Pandectis derogant, *juxta n.* 8. *Compendii Inſtitut.*

CASUS II.

B. Quæſtionem Judici proponit in Lege Germanicâ affirmativè reſolutam, at in Jure Juſtinianeo negativè, quæritur, quo Jure in reſolutione utendum ſit? Reſpondeo: Sequendum eſſe Jus Germanicum præ Jure Juſtinianeo, quia hoc tantùm obligat in ſubſidium, quatenus Leges Germanicæ non obſtant, *juxta N.* 10.

CASUS III.

C. Controverſiam habens cum Cajo Sententiam Doctorum gravium & practicorum pro ſe adducit; Cajus econtra ſe in Textu Juris Romani claro & contrario fundat, quæritur, an pro C. an pro Cajo ſit pronuntiandum? Reſpondeo: pronuntiandum eſſe pro C. quia Sententiæ Doctorum practicorum, tanquam meliùs judicantium de Statu Patriæ, Juri Juſtinianeo, etiam planè adverſanti, præferendæ ſunt, *juxta N.* 11.

CASUS IV.

D. Conſul furatus eſt mille aureos, Coridon etiam mille abſtulit, quæritur, quâ pœnâ hi delinquentes ſint afficiendi? Reſpondeo: D. pœnâ extraordinariâ afficiendum eſſe, ratio ſtat in juſtitiâ diſtributivâ, quæ inclinat ad cuique tribuendum debitum vel pœnam cum relatione ad præmia & officia, *juxta n.* 14.

CASUS V.

E. Bellidux homicidium commiſit proditorium, Agreſtis quoque hominem voluntariè interfecit, quæritur, an uterque æquali pœnâ gladii ſit plectendus? Reſpondeo: E. & Agreſtem pœnâ gladii plectendos eſſe, quia homicidium prohibitum eſt Lege Divinâ, quam homo mutare non poteſt, *juxta n. eund.*

CASUS VI.

F. Patronus Beneficii Eccleſiaſtici Simplicium illiteratum & impium Clericum præſentavit ad Eccleſiam Parochialem, quæritur, an F. Patronus damna à Simplicio Eccleſiæ illata reficere teneatur? Reſpondeo: F. Patronum teneri ad damna reſarcienda, quæ per imperitiam Simplicii Eccleſiæ inferuntur propter juſtitiam commutativam, quæ inclinat ad cuique tribuendum debitum etiam ex quaſi delicto ortum, *juxta n.* 13.

CASUS VII.

G. Rex conſtituitur in circumſtantiis vel Deum blaſphemandi, vel hominem interficiendi, quæritur, quem actum debeat eligere? Reſpondeo: Potius occidendum eſſe hominem, quàm Deum blaſphemandum, quia præceptum naturæ ordinis inferioris cedit præcepto ordinis ſublimioris, *juxta n.* 40.

CASUS VIII.

H. Tyrannus prætendit Titii extraditionem, & in Caſum renitentiæ toti Reipublicæ minatur excidium & exitium, quæritur, an Civitas Titium, ab H. Tyranno occidendum, poſſit tradere? Reſpondeo: Titium H. Tyranno occidendum tradi poſſe, quia bonum commune tanquam præceptum naturale ordinis ſublimioris antefertur bono particulari, tanquam Præcepto Ordinis inferioris, *juxta n. eund.*

CASUS IX.

I. Imperator Romanorum ſemper Auguſtus præ Imperatore Turcarum & omnibus Mundi Potentiis præcedentiam ſuſtinet, quæritur, an, & quo Jure illa præcedentia defendi poſſit? Reſpondeo: Illam præcedentiam ex Jure gentium univerſali, quòd moratiores ſaltem gentes agnoſcunt, confirmandam eſſe, *juxta n.* 49. CA-

CASUS X.

K. Princeps Legem promulgat de non portandis tempore nocturno armis, major pars Subditorum arma gerit, quæritur, an Princeps Subditos in pœnam legi inſertam declarare poſſit? Reſpondeo: Subditos condemnari poſſe ad hanc pœnam, cùm hodie quiscunque Superior in ſuo Territorio legem ferre poſſit, *juxta n.* 77. Subditis etiam invitis, & legem non acceptantibus, *juxta n.* 79.

CASUS XI.

L. Status Imperii Laicus legem tulit de non evehendis ex Territorio ſuo frumentis ſub pœnâ decem aureorum, Parochus loci curat frumenta evehi, quæritur, an L. frumenta Parochi uſque ad decem aureos poſſit confiſcare? Reſpondeo: Frumentum Parochi confiſcari poſſe, cùm ſit in illo loco Parochus, ubi princeps legem tulit, non tamen puniendum eſſe Parochum, cùm Lex Principis Laici Parochum, tanquam Clericum, regulariter non ſtringat, *juxta n.* 81.

CASUS XII.

M. Legislator Legem publicavit, ne ullus in ſuo Territorio Teſtamentum condat, Cajus forenſis caſu in Territorio M. exiſtens Teſtamentum erexit, quæritur, utrùm Teſtamentum ſubſiſtat? Reſpondeo: Teſtamentum tale ſubſiſtere, quia Lex à Legislatore unius Territorii promulgata regulariter non ligat Subditum alterius Territorii, tanquam non Subditum, *juxta n.* 82.

CASUS XIII.

N. Conſul Civitatis Imperialis Legem cum conſenſu Senatorum tulit, quæritur, an neceſſaria ſit Cæſarea confirmatio? Reſpondeo: Cæſareâ confirmatione opus non eſſe, cùm Civitates Imperiales, vi Superioritatis territorialis, apud Optimates exiſtentis, Authoritate Cæſareâ leges ferant, *juxta n.* 87.

CASUS XIV.

O. Conſul Civitatis Electoralis Colonienſis Jus dicit Subditis, quæritur, an opus ſit Electorali confirmatione? Reſpondeo: Opus eſſe Electorali confirmatione, ratio eſt: quòd Civitatum Provincialium edicta, Senatûs-Conſultis Romanis non abſurdè comparata, Principum ſuorum confirmatione indigeant, *juxta n.* 88.

CASUS XV.

P. Controverſiam habens in Judicio Sententiam à Camerâ Imperiali promulgatam, ſimilis quæſtionis definitivam, producit, quæritur, an

Judex ſecundùm Sententiam Cameralem pronuntiare debeat? Reſpondeo: Judicem recedere poſſe ab illâ Sententiâ Cameræ Imperialis, quia Tribunalium, licèt Superiorum Sententiæ Jus non faciunt ſecundum ſe, niſi inter partes, *juxta n.* 91.

CASUS XVI.

Q. Actionem v. g. ex nudo pacto, per Statutum, à Statu Imperii promulgatum, conceſſam, in Judicio intentat poſt lapſum anni utilis, quæritur, an Q. cum ſuâ actione ſit audiendus? Reſpondeo: Q. non tantùm poſt annum, ſed & ultra audiendum eſſe, nam cùm leges à Statibus Imperiii latæ cum edictis Prætorum comparari non poſſint, hinc actiones ex talibus legibus deſcendentes annales non ſunt, *juxta n.* 97.

CASUS XVII

R. Ad Conſilium Papiniani celebris Juris Conſulti tulit Sententiam iniquam, quæritur, an R. litem faciat ſuam? Reſpondeo: Judicem in hoc caſu litem ſuam non facere, ob favorem ſibi conceſſum à reſponſo Juris-Conſulti, *juxta n.* 100.

CASUS XVIII.

S. Ad Conſilium Ulpiani JCti Mevium provocat in Judicium, & causâ cadit, quæritur, an in expenſas Judiciales ſit condemnandus? Reſpondeo: S. ad expenſas condemnandum non eſſe, ratio eſt, quòd S. reſponſo JCti munitus litem non temerè inceperit, *juxta n.* 100.

CASUS XIX.

T. Judex ad implorationem partium acta ad impartiale Collegium Juridicum transmittit, quæritur, an T. à Sententiâ per illud Collegium conceptâ poſſit recedere? Reſpondeo: T. ab illâ Sententiâ recedere non poſſe, quia reſponſa ſolennia, quæ judex impetrat partibus petentibus, ligant Judicis manus, ita ut Sententiam definitivam talibus reſponſis conformem pronuntiare debeat, *juxta n.* 100.

CASUS XX.

V. In Judicio conventus provocat ad conſuetudinem à majori parte populi clàm frequentatam, quæritur, an poſſit in cauſa triumphare? Reſpondeo: V. Audiendum non eſſe, quia ad conſuetudinis eſſentiam non tantùm ſufficiunt actus frequentati à majore parte populi, ſed etiam oportet illos eſſe notorios & publicos, cùm clandeſtini Principis ſcientiam inferre non poſſint, *juxta n.* 115.

CA-

CASUS XLIV.

V. 2. Sponsâ primo inſtanti poſt benedictionem ſacerdotalem mortuâ, cum Sponſæ ſororis pronepte Matrimonium inivit, quæritur, an valeat? Reſpondeo: V. non poſſe Matrimonium inire cum Sponſæ ſororis pronepte, quia honeſtas publica etiam impedit Matrimonium usque ad quartum gradum incluſivè, *juxta n.* 227.

CASUS XLV.

W. 2. Sponsâ ex Sponſalibus de futuro mortuâ, vult Matrimonium celebrare cum Sponſæ ſuæ ſororis filia, quæritur, an Matrimonium ſit permittendum? Reſpondeo: Matrimonium permittendum eſſe, quia publica honeſtas in Sponſalibus de futuro primum gradum non excedit, *juxta n. eund.*

CASUS XLVI.

X. 2. & Clitindis ſtante impedimento conſanguinitatis, quod X. ſcit, & Clitindis ignorat, contraxerunt Matrimonium, & eo ſtante varias procreârunt proles, quæritur, an comperto impedimento proles cenſendæ ſint legitimæ? Reſpondeo: proles ex hoc matrimonio procreatas, legitimas quidem eſſe, non tamen legitimari, quia nuptiæ putativæ, cùm nullæ ſint, effectum producere non poſſunt, hinc maculam quidem impedire, non autem abſtergere poſſunt, *juxta n.* 234.

CASUS XLVII.

Y. 2. Centenarius, & in articulo mortis conſtitutus habens Baſtardum ex Femellâ, hanc ducit, quæritur, an Baſtardus legitimetur? Reſpondeo: Baſtardum legitimari, quia tanta eſt vis matrimonii, ut in articulo mortis contractum, vim legitimativam habeat, *juxta n.* 233.

CASUS XLVIII.

Z. 2. & Amella conſanguinei in ſecundo gradu, habentes filium illegitimum, & ignorantes impedimentum, ineunt matrimonium, quæritur, an partus ille per tale matrimonium legitimetur? Reſpondeo: illum partum non legitimari per tale matrimonium, quia quidem filii ex bonâ fide Parentum non debent habere jacturam, ob invaliditatem tamen talis matrimonii legitimari non poſſunt, *juxta n.* 230. *&* 234.

CASUS XLIX.

A. 3. & Bilaldis conſanguinei prolem procreârunt, partu edito Romano Pontifici ſupplicant pro diſpenſatione, & hâc obtentâ matrimonium ineunt, quæritur, an per tale matrimonium proles legitimetur?

 Re-

Reſpondeo : Prolem non legitimari per ſubſequens matrimonium, quia tunc partes nullo tempore habuerunt contrahendi habilitatem, *juxta n.* 237.

CASUS L.

B. 3. & Illiria ſcientes impedimentum conſanguinitatis in ſecundo gradu, matrimonium ineunt in facie Eccleſiæ, natis variis prolibus, ſuper impedimento obtinent diſpenſationem, & matrimonium denuo ſolennizant, quæritur, an per ejuſmodi matrimonium proles natæ legitimentur? Reſpondeo : Proles legitimari per tale matrimonium, quia tunc diſpenſatum matrimonium retrotraheretur ad tempus ante partum editum, nimirum ad tempus matrimonii in figura contracti, *juxta n.* 238.

CASUS LI.

C. 3. Legitimatus per ſubſequens matrimonium petit ſe admitti ad officium deſtinatum legitimè natis, quæritur, an ſit admittendus? Reſpondeo : C. ad tale officium admittendum eſſe, quia effectus legitimationis per ſubſequens matrimonium eſt, quòd in omnibus, & per omnia æquiparentur legitimè natis, *juxta n.* 243.

CASUS LII.

D. 3. Legitimatus per Reſcriptum Pontificium petit ſibi conferri Officium Cæſareum ab Imperatore, & inde à Romano Pontifice Præbendam, quæritur, an admitti poſſit? Reſpondeo : D. à Pontifice legitimatum admitti non poſſe ad Officium Cæſareum, bene autem ad Præbendam Pontificiam, quia Pontifex tantùm in Spiritualibus poteſtatem habet legitimandi, *juxta n.* 245.

CASUS LIII.

E. 3. Legitimatus eſt per Reſcriptum Principis laici, Fratribus ſuis legitimè natis reclamantibus, quæritur, an E. ad ſucceſſionem hæreditatis paternæ unà cum legitimis ſit admittendus? Reſpondeo : E. ad hæreditatem admittendum non eſſe, quia ad hanc legitimationem requiritur conſenſus legitimè natorum, cùm Princeps illis non præſumatur velle præjudicare, *juxta n.* 247.

CASUS LIV.

F. 3. à Patre Monaſterio oblatus, & profeſſus affectat Dignitatem Abbatialem, quæritur, an ipſi obſtet macula natalium? Reſpondeo: F. obſtare maculam natalium, cùm per oblationem Monaſterio factam quidem reddatur capax Sacros Ordines ſuſcipiendi, non autem ad officia & munera Dignitatum obeunda in Monaſterio, *juxta dicta.*

CA-

CASUS LV.

G. 3. Legitimatus invitus ſubjicitur patriæ poteſtati, quæritur, an Jure? Reſpondeo: G. ſi legitimatus ſit per ſubſequens matrimonium, etiam invitum ſubjici patriæ poteſtati, ob ſingularem matrimonii vim, ſecus, ſi legitimatio ſit facta per Reſcriptum, *juxta n.* 251.

CASUS LVI.

H. 3. Filiusfam. à Mercurio aſſumitur in filium coram decem teſtibus, quæritur, qualis ſit actus, & an valeat? Reſpondeo: talem actum eſſe adoptionem in ſpecie ſic dictam, *juxta n.* 253. Neque valere talem actum, cùm requiratur conſenſus Patris adoptati, & Authoritas Magiſtratûs, *juxta n.* 257.

CASUS LVII.

J. 3. Juvenis decem annorum, à Saturno Authoritate Principis aſſumitur in filium, qualis hic ſit actus, & an validus, quæritur? Reſpondeo: eſſe arrogationem impuberis, neque validum eſſe; quia præter Authoritatem Principis requiritur Authoritas Tutorum & Conſanguineorum, *juxta n.* 259.

CASUS LVIII.

K. 3. Expleto anno decimo quarto, poſt mortem Patris à Lucio Authoritate Principis ſuſcipitur in Filium, quæritur; qualis hic ſit actus, & an ſubſiſtat? Reſpondeo: eſſe arrogationem puberis, neque valere, quia præter Authoritatem Principis, requiritur conſenſus expreſſus Arrogandi, & Curatoris, unà cum cauſæ cognitione; *juxta n.* 258.

CASUS LIX.

L. 3. Filiusf. à Cajo Avo materno ſuſcipitur in filium, quæritur, qualis ſit actus, & quem producat effectum? Reſpondeo: eſſe adoptionem in ſpecie, & producere effectum patriæ poteſtatis propter concurrens duplex vinculum, quo Avus adoptato conjungitur; *juxta n.* 261.

CASUS LX.

M. 3. Ruſticus & Viduus, habens liberos, ducit viduam pariter habentem liberos, has proles coram Notario & teſtibus parificat quo ad parentalem ſucceſſionem, quæritur, qualis ſit actus, & an validus? Reſpondeo: hunc actum eſſe unionem prolium, atque invalidum, cùm non habeat omnia requiſita, etiam inter ruſticos; eſſentialiter neceſſaria, *juxta n.* 263. 264. 265. 266. & 267.

CASUS LXI.

N. 3. Liberos ſuos impuberes quoad ſucceſſionem parificat cum uxoris ſuæ liberis impuberibus, ſolius Magiſtratûs authoritate, quæritur, an actus debitas habeat ſolemnitates? Reſpondeo: actum hunc non habere debitas qualitates, quia præter Authoritatem Magiſtratûs, requiruntur conſenſus cognatorum proximiorum, & cauſæ cognitio, *juxta n.* 263. & 266.

CASUS LXII.

O. 3. Unitus frater moritur inteſtatus, quæritur, an Lampadius frater fictus poſſit O. ab inteſtato ſuccedere? Reſpondeo: Lampadium non poſſe ſuccedere O. quia unio prolium tantùm operatur parentalem ſucceſſionem, *juxta n.* 271. non autem ſucceſſionem inter liberos unitos, *juxta n.* 272.

CASUS LXIII.

P. 3. Pater teſtamentum condit, initæ inter liberos unioni prolium contrarium, quæritur, an teſtamentum ſuſtineatur? Reſpondeo: tale teſtamentum P. non valere, prout contrarium eſt unioni, quoad filios adſcititios, cùm unio reſpectu illorum ſit actus inter vivos, qui regulariter ab unâ parte, alterâ invitâ, revocari non poteſt, *juxta n.* 274.

CASUS LXIV.

Q. 3. Gradu Doctorali inſignitus, imprimis ad Sacros Ordines, deinde ad Dignitatem Epiſcopalem evehitur, quæritur, an exeat ex patriâ poteſtate? Reſpondeo: Q. non exire ex patriâ poteſtate, dum Doctor, vel adhuc Clericus eſt, ſed tunc primum, quando evectus eſt ad Dignitatem Epiſcopalem, *juxta n.* 275.

CASUS LXV.

R. 3. Filiusf. matrimonium contrahit, quæritur, an hodie patria poteſtas diſſolvatur? Reſpondeo: Patriam poteſtatem non ſolvi per ſolas nuptias, niſi R. & uxor illius ſeparentur à domo paternâ, cum inſtitutione propriæ rei familiaris, foci & laris, *juxta n.* 278.

CASUS LXVI.

S. 3. Expleto anno vigeſimo quinto in furorem incidit, quæritur, an S. dandus ſit Tutor? Reſpondeo: S. non dari poſſe Tutorem, ſed Curatorem, quia Tutela ſecundùm legem tantùm convenit pupillis, qui per ætatem ſe defendere non poſſunt, *juxta n.* 284.

CASUS LXVII.

T. 3. à Patre Sempronio impuberi in Teſtamento Tutor datus, contendit ſe in Tutelâ Sempronii Fratri Germano præferendum eſſe, quæritur, an Jure? Reſpondeo: T. Jure petere præferentiam ante Fratrem Germanum, quia Tutela Teſtamentaria, ob optimi conſilii paterni præſumptionem, antefertur legitimæ, & dativæ, *juxta n.* 289.

CASUS LXVIII.

V. 3. Nepoti ex filio præmortuo, & nepti ex filiâ, impuberibus teſtamento perfecto dat Tutorem, quæritur, an tutelæ datio, ante confirmationem Judicis, ſubſiſtat? Reſpondeo: talem dationem Tutelæ ſubſiſtere, quin requiratur Judicis confirmatio prævia, quia Avus paternus eſt caput familiæ, ſecùs eſt de nepte ex filiâ, quia in hanc V. non habet patriam poteſtatem, *juxta n.* 293.

CASUS LXIX.

W. 3. Filium impuberem juſtè exhæreditavit, eidémque in teſtamento dedit Tutorem, quæritur, an tutelæ datio ſit valida? Reſpondeo: hanc tutelæ dationem validam eſſe, quia non tantùm inſtitutis, ſed etiam juſtè exhæreditatis Tutores dari poſſunt, *juxta n.* 298.

CASUS LXX.

X. 3. Filio impuberi, cujus ætatem malitia ſupplet, dedit teſtamento Tutorem Cajum, quæritur, an Cajus Tutor ſit? Reſpondeo: Cajum Tutorem eſſe, quia, licèt filius, propter malitiam, de Jure naturali videatur pubertatis annos impleviſſe, tamen de Jure Civili ante annum 14tum nullus cenſetur pubes, *juxta n.* 299.

CASUS LXXI.

Y. 3. Filio ſuperſtite, nepoti teſtamento perfecto dedit Tutorem, quæritur, an Tutor datus ſit validè? Reſpondeo: talem Tutorem non Jure datum eſſe, cùm is, cui Tutor datus eſt, in alterius poteſtatem, poſt mortem dantis, non recidere debeat, *juxta n.* 300.

CASUS LXXII.

Z. 3. Filiof. impuberi teſtamento imperfecto, Tutorem conſtituit, quæritur, an tutela delata ſit invalidè, an illegitimè? Reſpondeo: talem Tutorem datum eſſe illegitimè, quia ad tutelam requitur, ut teſtamentum perfectum ſit, cùm tutelæ datio ſit res graviſſima, *juxta n.* 301. & 305.

CASUS LXXIII.

A. 4. Filio impuberi teſtamento imperfecto dedit Tutorem; quæritur, an Tutor ſit confirmandus, & quali confirmatione? Reſpondeo: Tutorem confirmandum eſſe confirmatione ſimplici, quia quoties Jus dandi Tutorem habens, talem dat illegitimè, toties regulariter ſufficit confirmatio ſimplex, *juxta n.* 304.

CASUS LXXIV.

B. 4. Fœmina teſtamento perfecto Ulpiano detulit tutelam in filium ſuum impuberem, quæritur, an Ulpianus confirmandus ſit, & quali confirmatione? Reſpondeo: Ulpianum confirmandum eſſe, & quidem confirmatione qualificatâ, quia quoties Jure dandi Tutorem deſtitutus talem dat, confirmatione regulariter qualificatâ opus eſt, ſaltem de Jure Juſtinianeo, *juxta n.* 305.

CASUS LXXV.

C. 4. Tutelam teſtamento perfecto concredidit Marcello in filium impuberem emancipatum, quæritur, an Marcellus confirmandus ſit? Reſpondeo: Marcellum confirmandum eſſe, ad tutelam enim requiritur, ut liberi ſint in patriâ poteſtate dantis, *juxta n.* 292. tutela autem hæc illegitimè delata eſt, proindéque confirmari poteſt, *juxta n.* 307.

CASUS LXXVI.

D. 4. Poſt mortem meam, filio meo impuberi, teſtamento perfecto, conſtituit Tutorem, quæritur, an Tutor confirmandus ſit, & quali confirmatione? Reſpondeo: Tutorem D. non eſſe confirmandum, niſi filium meum hæredem ſcripſiſſet, *juxta n.* 306.

CASUS LXXVII.

E. 4. In teſtamento perfecto filio ſuo impuberi dedit Tutorem Papinianum, quæritur, an Papinianus indigeat confirmatione Judicis? Reſpondeo: Papinianum non indigere Judicis confirmatione, ratio ſtat in præſumptione tenerrimæ affectionis paternæ, *juxta n.* 307. ſaltem de Jure Romano.

CASUS LXXVIII.

F. 4. In tutelâ nepotis ſui impuberis ex filiâ præferri vult Aviæ impuberis maternæ, quæritur, an Jure? Reſpondeo: F. Jure affectare præcedentiam, quia ſi aſcendentes ſumantur pariformiter, tunc ſexus maſculinus ob ſuam præſtantiam, nec non ob conſilii & teneræ affectionis præſumptionem, fœminino præfertur, *juxta n.* 325.

CASUS LXXIX.

G. 4. Mater prætendit ſe tutricem filii ſui impuberis, patruo ejuſdem præferendam, quæritur, an Jure? Reſpondeo: Matrem præferendam eſſe patruo, quia Jus novius matrem tantùm poſtponit aſcendentibus, non autem collateralibus, *juxta n.* 326.

CASUS LXXX.

H. 4. Mater detrectat tutelam liberorum ſuorum impuberum ſuſcipere, quæritur, an à Judice cogi poſſit? Reſpondeo: H. à Judice ad tutelam cogi non poſſe, quia mater, renuens tutelam accipere, minuit affectionis præſumptionem, *juxta n.* 329.

CASUS LXXXI.

J. 4. Mater prætendit ſibi deberi tutelam liberorum ſuorum impuberum, quæritur, quid prævie præſtare teneatur? Reſpondeo: Illam teneri renuntiare futuris Nuptiis, *juxta n.* 330. & Senatûs-Conſulto Vellejano, *juxta n.* 334.

CASUS LXXXII.

K. 4. Mater ſuſceptâ liberorum tutelâ, contrahit Sponſalia de futuro, quæritur, an ſaltem, Sponſo mortuo, poſſit tutelam continuare? Reſpondeo: Illam, Sponſo mortuo, non poſſe continuare tutelam, cùm etiam per Sponſalia de futuro intelligatur deponere affectionem erga liberos, *juxta n.* 340.

CASUS LXXXIII.

L. 4. Mater, tempore mortis mariti minorennis, affectat tutelam filii impuberis, quæritur, an, & quando ad tutelam ſit admittenda? Reſpondeo: L. licèt minorennem, ad tutelam admittendam eſſe in tempus, quo major facta fuerit, ex ratione ſingulariſſimæ affectionis, *juxta n.* 342.

CASUS LXXXIV.

M. 4. Vidua filio ſuo impuberi debet mille, quæritur, an tutela eidem committi poſſit? Reſpondeo: M. licèt debitrici committi poſſe tutelam, quia nulla, ob ſingularis affectionis præſumptionem, contra illam militat ſiniſtria ſuſpicio, *juxta n.* 343.

CASUS LXXXV.

N. 4. Prætor pagi A. pupillo pagi B. conſtituit Tutorem pagi C. quæritur, an conſtitutio tetoris teneat? Reſpondeo: talem conſtitutionem Tutoris non tenere, quia ad tutelam dativam requiritur, ut pupillus

pillus Jurisdictioni Judicis conſtituentis ſit ſubjectus, habeátque Judex poteſtatem Tutorem nominandi, *juxta n.* 345.

CASUS LXXXVI.

O. 4. Pupillus Ratisbonenſis quoad originem, conſtitutum habet Tutorem à Judice Ratisbonenſi, & etiam Monachienſi, Judice ſuæ habitationis perpetuæ, quæritur, quis Tutor ſit præferendus? Reſpondeo: Tutorem à Judice Monachienſi conſtitutum, Ratisbonenſi præferendum eſſe, quia de conſuetudine Judex habitationis perpetuæ præfertur Judici domicilii originis, *juxta n.* 357.

CASUS LXXXVII.

P. 4. Pupillus celebrat actum ſine Tutoris authoritate, quæritur, an actus valeat, & P. obligetur, ſaltem naturaliter? Reſpondeo: Actum à pupillo celebratum non valere ſine authoritate Tutoris, quæ requiritur ad actûs ſubſtantiam, *juxta n.* 365. neque P. obligari naturaliter, cùm eâ ætate nec nolle nec velle habeat, *juxta n.* 368.

CASUS LXXXVIII.

Q. 4. Impubes mille imperiales clam Tutore levavit mutuos, eosdémque in coëmendam Bibliothecam Juridicam impendit, quæritur, an Q. teneatur ad mutui reſtitutionem? Reſpondeo: Q. teneri ad mutui reſtitutionem, cùm Juri naturæ repugnet, ut quis cum alterius jacturâ locupletetur, *juxta n.* 373.

CASUS LXXXIX.

R. 4. Pupillus ſinè Tutoris authoritate fundum Tuſculanum emit mille, fundo autem tradito detrectat pretium ſolvere, quæritur, an Jure? Reſpondeo: R. Jure detrectare pretii ſolutionem, fundo reſtituto, quia pupillus, negotia bilateralia celebrando ſine Tutoris authoritate, alium ſibi obligat, non tamen ſe alteri, *juxta n.* 372.

CASUS XC.

S. 4. Pupillus, hæres inſtitutus in teſtamento, hæreditatem adit ſinè Tutore, quæritur, an aditio teneat? Reſpondeo: Aditionem non tenere ſine Tutoris authoritate, ex ratione, quòd pupillus, hæreditatem adeundo, conditionem ſuam deteriorem faciat, *juxta n.* 375.

CASUS XCI.

T. 4. Impubes Titio creditori ſolvit mille, quæritur, an ſolutio, ſinè Tutoris authoritate facta, ſubſiſtat? Reſpondeo: Solutionem

nem non valere ſine Tutoris authoritate, quia quotieſcunque pupillus ſuam conditionem facere poteſt deteriorem, toties neceſſaria eſt Tutoris authoritas, *juxta n.* 371. & 376.

CASUS XCII.

V. 4. Sine Tutoris authoritate acceptat donationem mille imperialium, ſibi ab Horatio factam, quæritur, an acceptatio valida ſit? Reſpondeo: acceptationem validam eſſe, quia in hoc caſu metus non eſt, ne pupillus ſuam conditionem reddat deteriorem, *juxta n.* 380.

CASUS XCIII.

W. 4. Pupillus capitale in annuas uſuras elocatum, ſibi cum authoritate Tutoris ſolutum, caſu fortuito amittit, quæritur, an W. ſentiat capitalis damnum? Reſpondeo: W. non ſentire capitalis damnum, ſed Creditorem, cùm pecuniæ, ſub annuis uſuris expoſitæ, ſine Judicis decreto alienari nequeant, *juxta n.* 371.

CASUS XCIV.

X. 4. Tutor teſtamento datus, ante decretum Judicis author ſit venditioni, per pupillum celebratæ, quæritur, an venditio valida ſit? Reſpondeo: venditionem invalidam eſſe, quia quidquid Tutor agit ante impetratum decretum Judicis ipſo Jure nullum eſt, *juxta n.* 383.

CASUS XCV.

Y. 4. Tutor rebus propriis ſolitus adhibere exactiſſimam diligentiam, pupillaribus damnum dedit minimâ negligentiâ, quæritur, an teneatur? Reſpondeo: Y. teneri ex damno, cùm Tutor teneatur adhibere rebus pupillaribus eandem diligentiam, quam propriis adhibere ſolet, *juxta n.* 387.

CASUS XCVI.

Z. 4. Tutor negligentiſſimus Paterf. rebus pupillaribus damnum intulit mediâ negligentiâ, quæritur, an teneatur? Reſpondeo: Illum teneri, quia Tutor negligentiſſimus exactam ſaltem diligentiam in adminiſtratione tutelæ adhibere debet, *juxta n.* 390.

CASUS XCVII.

A. 5. Tutor, exorto caſu fatali, res proprias pretioſiores ſervavit, quæritur, an damnum, per hoc rebus pupilli minùs pretioſis illatum, reſarcire obligetur? Reſpondeo A. obligari damnum reſarcire rebus pupillaribus, licèt minùs pretioſis, illatum, quia ſalvâ fide nemo

rebus alienis minorem adhibere poteſt diligentiam, quàm propriis, *juxta n.* 391.

CASUS XCVIII.

B. 5. Pecunias proprias exponit in annuas uſuras, pupillaribus relictis otioſis, quæritur, an pupillo teneatur ad uſuras? Reſpondeo: B. pupillo teneri ad uſuras, quia Tutor tenetur pupillares pecunias elocare, etiamſi propriæ remanſuræ ſint otioſæ, *juxta n.* 393.

CASUS XCIX.

C. 5. Tutor fundum Tuſculanum pupillarem intendit alienare, quæritur, quas ſolennitates teneatur adhibere? Reſpondeo: Illum imprimis allegare debere juſtam cauſam, deinde decretum Judicis petere, & denique ſuam propriam authoritatem interponere, *juxta n.* 402. *&* 403.

CASUS C.

D. 5. Tutor ingreditur Religionem, quæritur, an tutelam amittat? Reſpondeo: per ingreſſum Religionis D. tutelâ privari, quæ etiam per mortem civilem ceſſat, *juxta n.* 406.

CASUS CI.

E. 5. Datus eſt à patre filio puberi teſtamentô curator, quæritur, an ad curatelam ſit admittendus? Reſpondeo: E. de Jure Juſtinianeo ad curatelam admittendum non eſſe, cùm de hoc Jure tantùm detur legitima & dativa, *juxta n.* 411.

CASUS CII.

F. 5. Pubes clam tutore actum geſſit, quæritur, an actus ſubſiſtat, & quomodo F. obligetur? Reſpondeo: Actum talem non ſubſiſtere, utpote geſtum ſine curatoris conſenſu, F. tamen obligari naturaliter, cùm nec voluntate ſe obligandi, nec intellectu rerum deſtituatur, *juxta n.* 414. *&* 415.

CASUS CIII.

G. 5. Tutor teſtamentô datus, & in immobilibus poſſeſſionatus, conſtringitur ad præſtandam ſatisdationem tutoriam, quæritur, an Jure? Reſpondeo: G. non Jure compelli ad ſatisdationem tutoriam præſtandam, cùm bona immobilia poſſideat, *juxta n.* 424. & cùm tutor teſtamentô datus immunis ſit à ſatisdatione tutoriâ, *juxta n.* 426.

CASUS CIV.

H. 5. Tutor à Lege vocatus, & in Germaniâ domiciliatus, habet tres liberos, quæritur, an à tutelâ ſe valeat excuſare? Reſpondeo: quòd

quòd H. ob natam triplicem prolem ſe excuſare poſſit, quia Germani, Jus Romanum recipiendo, etiam Jura illius in ſe tranſtulerunt, *juxta n.* 431.

CASUS CV.

I. 5. Magiſter humanioris literaturæ ad tutelam conſtringitur, quæritur, an poſſit? Reſpondeo: I. Ad tutelam cogi non poſſe propter muneris gravitatem, ne ab illo diſtrahatur, *juxta n.* 434.

CASUS CVI.

K. 5. Tutelam adminiſtrat mediâ tantùm negligentiâ, quæritur, an ut ſuſpectus removeri poſſit? Reſpondeo: Illum, ùt ſuſpectum, removeri poſſe, quia tutor ob levem culpam ſuſpectus eſt, *juxta n.* 446.

CASUS CVII.

L. 5. In Mari piſcatur, quæritur, an à Potentiâ maritimâ vicinâ poſſit prohiberi? Reſpondeo: L. in Portu prohiberi poſſe à Potentia maritima, cùm Mare tantùm commune ſit quoad uſus inexhauribiles, non autem quoad exhauribiles, *juxta n.* 455.

CASUS CVIII.

M. 5. In ſuo fundo exſtruit Molendinum pneumaticum, quæritur, an hoc eidem liceat? Reſpondeo: M. non licere hoc factum, quia hodie aër communis non eſt quo ad uſus ſpeciales, *juxta n.* 448.

CASUS CIX.

N. 5. Ratisbonenſis piſcatur in Danubio, quæritur, an poſſit repelli? Reſpondeo: N. repelli poſſe à Domino fluminis, quia res publicæ in Principes & Dominos translatæ ſunt, *juxta n.* 460.

CASUS CX.

O. 5. Calicem conſecratum emit decem Ludovicis aureis, quæritur, an Calix ſinè refuſione pretii ſit reſtituendus? Reſpondeo: Calicem absque pretii refuſione reſtituendum eſſe, cùm ſit res extra commercium exiſtens, tanquam ſacra, *juxta n.* 466. *&* 470.

CASUS CXI.

P. 5. Sepulchrum emit in Eccleſia, quæritur, an emptio teneat? Reſpondeo: emptionem Sepulchri non tenere, cùm Sepulchra, tanquam res religioſæ, pariter ſint extra commercium humanum, *juxta n.* 473.

CASUS CXII.

Q. 5. Status Imperii aſſerit ſibi dominium feræ nondum captæ, neque in Sylvâ circumſeptâ exiſtentis, quæritur, an Jure? Reſpondeo: Q. de Jure hodierno Jure affectare dominium feræ vi occupationis univerſalis, quâ Principes, quæ commodè dividi non poterant, occupârunt, *juxta n.* 499.

CASUS CXIII.

R. 5. Laqueum poſuit in diſtrictu venationis, ad Principem pertinentis, & feram intricavit, quæritur, an proprietatem feræ poſſit prætendere? Reſpondeo: R. non poſſe prætendere proprietatem feræ de Jure hodierno, cùm illa pertineat ad habentem Jus venandi, *juxta n.* 497.

CASUS CXIV.

S. 5. In meo Stagno piſcatur, quæritur, an piſces captos ſuos faciat? Reſpondeo: S. ſuos non facere piſces, quia hodie, qui in alienis rivis, non incluſis, piſcatur, Domino rivi acquirit piſcium dominium, *juxta n.* 501.

CASUS CXV.

T. 5. In meâ venatione aucupatus eſt turdos; quæritur, an dominium ſibi acquirat? Reſpondeo: T. ſuos non facere turdos, cùm hodie, vi occupationis per univerſitatem, aves pretioſiores pertineant ad dominum venationis, *juxta n.* 503.

CASUS CXVI.

V. 5. In flumine publico invenit arenam auream, illámque occupat, quæritur, an ejuſdem dominium ſibi acquirat? Reſpondeo: V. Jure ſibi quærere dominium talis arenæ, *juxta n.* 508. niſi Princeps tales res inventas ſibi appropriaverit occupatione univerſali, *juxta n.* 510.

CASUS CXVII.

W. 5. In ſuo fundo invenit veterem pecuniæ depoſitionem, illámque retinet, quæritur, an Jure? Reſpondeo: Theſaurum pertinere ad W. tanquam rem nullius, *juxta n.* 511. niſi Leges Civiles obſtent, *juxta n.* 516.

CASUS CXVIII.

X. 5. Ciſtam à Rhedâ deciduam invenit, quæritur, an eandem Jure retinere poſſit? Reſpondeo: X. non poſſe retinere talem ciſtam, quia in hoc caſu non adeſt animus rem habendi pro derelicta, *juxta n.* 516.

CASUS CXIX.

Y. 5. Fundum habens flumini vicinum, incrementum fundo ſuo adjectum vindicat, quæritur, an Jure? Reſpondeo; Y. tale incrementum petere poſſe, ſi fundus ſit illimitatus, *juxta n.* 523.

CASUS CXX.

Z. 5. Partem à fundo ſuo abraſam, & fundo vicino adjectam, repetit, quæritur, an repetitio ſit juſta? Reſpondeo: Repetitionem juſtam eſſe, ſi pars avulſa nondum alterius fundo accreverit, *juxta n.* 527. ſecus, ſi illi accreverit, *juxta n.* 528.

CASUS CXXI.

A. 6. Inſulam, prope fundum ſuum in flumine publico natam, vindicat à vicino, quæritur, an juſtè? Reſpondeo: A. Jure vindicare Inſulam, cùm de Jure Romano Inſulæ ad vicinos, habentes prædia illimitata, pertineant, *juxta n.* 530.

CASUS CXXII.

B. 6. Poſſeſſor hæreditatis alienæ, quam credit eſſe ſuam, centum modios glandium ex eâdem percepit, ex quibus porcos ſaginavit, quæritur, an pretium glandium ſupervenienti vero hæredi teneatur reſtituere? Reſpondeo: B. teneri ad pretium vero Domino reſtituendum, quia bonæ fidei poſſeſſor fructus tam naturales, quàm induſtriales non aliter ſuos facit, quàm ſi factus non ſit locupletior, *juxta n.* 543.

CASUS CXXIII.

C. 6. Poſſeſſor fundi alieni, quem credit eſſe ſuum, ex eodem frumenta percepit, quæ eodem die perceptionis vendidit, quæritur, an pretium ſupervenienti alterâ die vero Domino teneatur reſtituere? Reſpondeo: Ipſum teneri reſtituere pretium fructuum, quia bonæ fidei poſſeſſor fructus perceptos ſuos quidem facit, ſed tantùm ad interim, *juxta n.* 545. *&* 548. & hinc fructus, ex quibus factus eſt locupletior, reſtituere tenetur.

CASUS CXXIV.

D. 6. Bonæ fidei poſſeſſor hæreditatis, domui hæreditariæ applantavit pretioſarum arborum deambulationes, quæritur, an hæres ſuperveniens ad pretium refundendum obligetur? Reſpondeo: hæredem ſupervenientem teneri ad pretium reſtituendum D. ex ratione, quòd b. f. poſſeſſor in Judicio univerſali deducat impenſas neceſſarias, utiles, & etiam voluptuarias, *juxta n.* 558.

CASUS CXXV.

E. 6. B. f. poſſeſſor fundi Tuſculani, illum pinguefecit, quæritur, an ſuperveniens Dominus expenſas debeat refundere? Reſpondeo: Supervenientem Dominum obligari ad reſtitutionem impenſarum neceſſariarum, & utilium, non autem voluptuariarum, quas E. tantùm tollit, cùm Judicium particulare uno gradu inferius ſit Judiciô univerſali, *juxta n.* 559.

CASUS CXXVI.

F. 6. Vineam alienam ingreditur, & collectis hominibus, uvas colligit, quæritur, an à Domino Vineæ poſſit expenſas repetere? Reſpondeo: F. non poſſe repetere expenſas in Vinea factas, cùm non ùt poſſeſſor, ſed ùt fur, tales expenſas fecerit, *juxta dicta.*

CASUS CXXVII.

G. 6. Ex alieno auro bonâ fide conficit ſcyphum, quæritur, an ſcyphus pertineat ad G. Reſpondeo: Scyphum non pertinere ad G., ſpecies enim reducibilis non pertinet ad ſpecificantem, ſed ad Dominum materiæ, *juxta n.* 566.

CASUS CXXVIII.

H. 6. Ex alienis uvis bona fide exprimit liquorem, quæritur: an liquor pertineat ad Dominum uvarum? Reſpondeo: Liquorem non pertinere ad Dominum uvarum, quia ſpecies irreducibilis ſpectat ad ſpecificantem, *juxta n.* 567.

CASUS CXXIX.

J. 6. Dat mihi pecuniam animo donandi, ego accipio ùt mutuam, quæritur, cujus ſit pecunia? Reſpondeo: pecuniam meam eſſe, quia in traditione non requiritur conſenſus in eundem titulum ſpecificum, habilem ad dominium transferendum, *juxta n.* 580.

CASUS CXXX.

K. 6. In teſtamento ſcriptus hæres immobilium, & Marcellus mobilium, incidunt in controverſiam, cui addividenda ſint Molendina navalia, quæritur, quid Juris? Reſpondeo: Molendina navalia, ſi bannalia ſint, adjudicanda eſſe K. hæredi immobilium, ſecus, ſi bannalia non ſint, *juxta n.* 589.

CASUS CXXXI.

L. 6. Hæres mobilaris vindicat lychnos, parietibus domûs hæreditariæ affixos, quæritur, an Jure? Reſpondeo: L. Jure ſibi vindicare

dicare lychnos, quia res, quæ ornatûs gratiâ domui ſerviunt, mobilibus accenſentur, *juxta n.* 593.

CASUS CXXXII.

M. 6. Jus habet à ſuo vicino exigendi, ut is ædificium ſuum altiùs tollat in domûs M. utilitatem, quæritur, an M. Jus ſervitutis ſit quæſitum? Reſpondeo: Jus altiùs tollendi de Jure Romano ſervitutem non eſſe, quia omnis ſervitus in patiendo, non autem in agendo conſiſtit, *juxta n.* 616. *&* 617.

CASUS CXXXIII.

N. 6. Jus habet coquendæ calcis in alieno furno, quæritur, qualis ſit ſervitus, an ruſtica, an urbana? Reſpondeo: hanc ſervitutem ruſticam eſſe, quia calx non in ædificio, ſed ſolo coquitur, & ſervitus denominatur à ſerviente, *juxta n.* 603. *&* 607.

CASUS CXXXIV.

O. 6. Dominus prædii cisrhenani, Jus habet arenæ fodiendæ in prædio transrhenano, quæritur, an hoc Jus ſervitus appellari poſſit? Reſpondeo: hoc Jus ſervitutem vocari poſſe, cùm ad illam conſtituendam etiam ſufficiat vicinitas utilitatis, *juxta n.* 611.

CASUS CXXXV.

P. 6. Jus habet cœnandi in meo horto, quæritur, an hoc Jus ſervitus ſit? Reſpondeo: hoc Jus ſervitutem non eſſe, quia requiritur, ut prædium prædio ex ſervitute afferat utilitatem, *juxta n.* 612.

CASUS CXXXVI.

Q. 6. Jus habet effundendæ aquæ, pavimenti proluendi gratiâ, in meam aream, quæritur, an hoc Jus ſervitutibus annumerari valeat? Reſpondeo: hoc Jus inter ſervitutes annumerari poſſe, cùm hodie ſervitus conſtitui poſſit, quæ cauſam perpetuam non habet, *juxta n.* 620.

CASUS CXXXVII.

R. 6. Servitute prædio ſuo quæſitâ decem annis non utitur, quæritur, an ſervitutem amiſerit? Reſpondeo: R. ſervitutem amiſiſſe, ſi fuerit ruſtica, *juxta n.* 615.

CASUS CXXXVIII.

S. 6. Habens uſumfructum fundi, deambulationes convertit in hortum olitorium, quæritur, an Jure? Reſpondeo: S. non Jure

 con-

convertere deambulationes in hortum olitorium, quia re uti debet, ſalvâ ejus ſubſtantiâ, *juxta n.* 631. & 632.

CASUS CXXXIX.

T. 6. Uſufructuarius ædium, cubicula in utiliorem ſtatum convertit, quæritur, an poſſit? Reſpondeo: T. non poſſe cubicula mutare, quia res, etiam in meliorem ſtatum mutata, fit deterior, amiſsâ antiquâ ſpecie & qualitate, *juxta n.* 633.

CASUS CXL.

V. 6. Uſufructuarius fundi de novo inſtituit fodinas, quæritur, an hæc inſtitutio juſta ſit? Reſpondeo: V. de Jure Romano inquirere poſſe fodinas, modò agriculturæ non noceat, quia rei facies cenſetur eſſe ſupra terram, non autem infrà, *juxta n.* 634.

CASUS CXLI.

W. 6. Uſufructuarius prætendit commodum fodinarum, in fundo exiſtentium, quæritur, an poſſit? Reſpondeo: W. poſſe prætendere commodum fodinarum de Jure Romano, *juxta n.* 637. ſecus de Jure hodierno, ſi fodinæ pretioſiores ſint, *juxta n.* 652.

CASUS CXLII.

X. 6. Uſufructuarius ſylvæ arrogat ſibi dominium arborum demortuarum, quæritur, an Jure? Reſpondeo: X. Jure ſibi arrogare dominium arborum demortuarum, quia in illarum locum tenetur alias ſubſtituere, *juxta n.* 642.

CASUS CXLIII.

Y. 6. Uſufructuarius domûs renuit expenſas refectionis facere, quæritur, an juſtè? Reſpondeo: illum injuſtè renuere domûs reparationem, ſi illa modica ſit, cùm juſtum ſit, ut uſum habens ſentiat & onus, *juxta n.* 645.

CASUS CXLIV.

Z. 6. Uſufructuarius fundi arrogat ſibi feras, quæritur, num rectè? Reſpondeo: Z. de Jure Romano ſecus, ac hodierno, ſibi juſtè quærere dominium ferarum, quia ad fructuarium ſpectat, quidquid in fundo percipi poteſt, *juxta n.* 648. & 649.

CASUS CXLV.

A. 7. Lapidicinas fundi fructuarii ſibi arrogat, quæritur, an poſſit? Reſpondeo: A. ſibi arrogare poſſe lapidicinas, ſi lapides renaſcantur, *juxta n.* 651.

CASUS

CASUS CXLVI.

B. 7. Uſuarius ſylvæ cæduæ ligna cædit, & vendit, quæritur, an venditio ſit juſta? Reſpondeo: Venditionem injuſtam eſſe, quia uſuarius ſolummodò ex fructibus tantum ſumere poteſt, quantum opus habet ad neceſſitatem quotidianam, *juxta n.* 655.

CASUS CXLVII.

C. 7. Jus habitationis alteri elocat, quæritur, an locatio teneat? Reſpondeo: Elocationem tenere, quia, qui habitationem habet, alteri ædes locare poteſt, *juxta n.* 659.

CASUS CXLVIII.

D. 7. Debens mihi mille ex mutuo, ſpatiô 40. annorum non monitus, & in judicio conventus, opponit mihi exceptionem præſcriptionis, quæritur, an exceptio ſit legitima? Reſpondeo: D. non poſſe debitum elidere exceptione præſcriptionis, quia obligationes & actiones, tendentes ad agendum, præſcribi non poſſunt malâ fide, *juxta n.* 661.

CASUS CXLIX.

E. 7. Sciens fundum ſuum meo ſervire ſervitutem itineris, opponit mihi exceptionem præſcriptionis, eo quòd decem annis non iverim, quæritur, an jure? Reſpondeo: E. jure opponere poſſe exceptionem præſcriptionis, quia actiones, tendentes ad ſuſtinendum aut patiendum, malâ fide præſcribi poſſunt, *juxta n.* 670.

CASUS CL.

F. 7. Hæres patris, qui fundum Tuſculanum alienum ſcienter poſſedit, detinuit eundem fundum, cum ignorantiâ rei alienæ, per 40. annos, quæritur, an fundum uſuceperit? Reſpondeo: Non uſucepiſſe fundum, quia mala fides anteceſſoris quoque nocet ſucceſſori univerſali immediato, *juxta n.* 671.

CASUS CLI.

G. 7. Hæres avi, malæ fidei poſſeſſoris, in judicio conventus fundat ſe in exceptione præſcriptionis domûs à patre poſſeſſæ bonâ fide, quæritur, an exceptio ſit in jure fundata? Reſpondeo: Exceptionem fundatam eſſe in jure, modò G. tempus uſucapionis à ſe inchoare velit, quia mala fides non nocet hæredi mediato, *juxta n.* 672. *&* 673.

CASUS CLII.

H. 7. Emptor equi, per venditorem malâ fide poſſeſſi, eundem poſſedit per triennium cum ignorantiâ rei alienæ, quæritur, an juſta ſit

præſcriptio? Reſpondeo: Præſcriptionem juſtam eſſe, quia, H. rem habet juſtô titulô, *juxta n.* 674. tempúſque à lege præfinitum complevit, *juxta n.* 679. & mala fides anteceſſoris non nocet ſucceſſori particulari, *juxta n.* 673.

CASUS CLIII.

J. 7. Rem emit à pupillo ſine Tutoris Authoritate, illámque poſſedit per decem annos inter præſentes, quæritur, an uſucapio ſit completa? Reſpondeo: uſucapionem completam non eſſe, quia ad uſucapionem requiritur titulus, qui ob Juris diſpoſitionem non ſit ad dominium transferendum inhabilis, *juxta n.* 677.

CASUS CLIV.

K. 7. Fundum Tuſculanum Titii per quinque annos præſentis, & reliquo tempore abſentis, poſſedit per annos duodecim, quæritur, an fundus ſit uſucaptus? Reſpondeo: uſucapionem completam non eſſe, quia anni præſentiæ duplicati conficiunt tempus præſcriptionis inter abſentes, *juxta n.* 681.

CASUS CLV.

L. 7. Poſſedit ſcyphum aureum, mihi à Titio furtô ablatum, cùm ignorantiâ rei alienæ per viginti annos, quæritur, an ſcypho ſit præſcriptum? Reſpondeo: ſcypho non eſſe præſcriptum, quia res furtivæ ob vitium reale, quod ipſis inhæret, præſcribi nequeunt, *juxta n.* 686.

CASUS CLVI.

M. 7. Nullô titulô munitus per meum fundum iter exercet, me ſciente, & non contradicente, quæritur, an ſibi ſervitutem itineris per præſcriptionem acquiſierit? Reſpondeo: M. ſibi acquiſiviſſe Jus ſervitutis per meum fundum eundi, quia Dominus fundi, ſciens, & non contradicens ſervitutis exercitio, videtur illam tacitè concedere, *juxta n.* 690.

CASUS CLVII.

N. 7. Celebravit in me donationem hâc formulâ: *dono tibi domum Tuſculanam, poſt mortem meam tradendam;* quæritur, an ſit donatio *inter vivos*, an *mortis causâ?* Reſpondeo: Donationem hanc eſſe non mortis causâ, ſed inter vivos, quia mortis mentio non eſt adjecta donationis ſubſtantiæ, ſed tantùm illius executioni, *juxta n.* 695.

CASUS CLVIII.

O. 7. Donavit mihi ſua bona hoc modo: *Quia ſum iturus ad prælium, dono tibi mea bona;* quæritur, an redux poſſit donationem

tionem ſine cauſa revocare ? Reſpondeo : Donationem hanc revocabilem eſſe, quia eſt donatio *mortis causâ*, quæ ſinè juſta cauſa revocari poteſt, *juxta n. 696.*

CASUS CLIX.

P.7. Conjux donat ſuæ Conjugi mille aureos, quia videt ſe moriturum, quæritur, an donatio valeat ? Reſpondeo : Donationem hanc *mortis causâ* valere, quia ob illam Conjux donans non fit pauperior, cùm executio primùm fiat poſt mortem, *juxta n. 698.*

CASUS CLX.

Q.7. Donat mihi hâc formulâ : *Dono tibi mille Ducatos Hungaricos*, quæritur, quid requiratur ad donationis valorem ? Reſpondeo : Ad valorem hujus donationis opus eſſe ex parte inſinuatione apud Judicem, ne homines exceſſivis donationibus ſe emungant, *juxta n. 699.*

CASUS CLXI.

R.7. Donavit mihi ita : *quia ſum moriturus, dono tibi omnia mea bona irrevocabiliter*, quæritur, an ſit donatio *inter vivos*, an *mortis causâ ?* Reſpondeo : Hanc donationem eſſe *inter vivos*, ſi mihi præſenti & acceptanti facta fuerit, ſecus ſi abſenti coram quinque teſtibus, *juxta n. 701.*

CASUS CLXII.

S.7. Donatarius ſtruxit inſidias vitæ unici, quem donator habebat, filii, quæritur, an donatio poſſit revocari ? Reſpondeo : Hanc donationem revocari poſſe, quia donatio non tantùm ob majores, ſed etiam æquales cauſas infirmatur, *juxta n. 709.*

CASUS CLXIII.

T.7. Donator omnium bonorum donationem revocat ex cauſa ſupernati ſibi filii, quæritur, an revocatio ſit legitima ? Reſpondeo : Donationem revocari poſſe ob favorem liberorum, & præſumptionem paternæ pietatis, *juxta n. 711.*

CASUS CLXIV.

V.7. Prædium ſibi in dotem datum alienavit, uxore reclamante, quæritur, an alienatio ſubſiſtat ? Reſpondeo : Alienationem non ſubſiſtere de Jure Romano, *juxta n. 717.* ſecus de Jure hodierno, ubi ob communionem bonorum inter conjuges introductam, maritus non tantùm dimidiam dotem, ſed etiam medietatem omnium bonorum ſinè uxoris conſenſu alienare poteſt, *juxta n. 721.*

CASUS CLXV.

W. 7. Domum, eidem pro hypotheca conſtitutam, alienavit debitore invito, quæritur, an alienatio valida ſit? Reſpondeo: Alienationem invalidam eſſe; quia requiritur, ut debitori ante illam fiat denuntiatio, *juxta n.* 722.

CASUS CLXVI.

X. 7. Patrinus donavit mihi ſcyphum aureum, quæritur, ad quod peculium ſcyphus pertineat? Reſpondeo: Scyphum pertinere ad peculium profectitium, tanquam donum luſtricum, *juxta n.* 728.

CASUS CLXVII.

Y. 7. In Teſtamento legavit mihi mille, quæritur, an patri meo debeatur uſusfructus? Reſpondeo: Patri deberi uſumfructum, quia lucra hæreditaria ad peculium adventitium ordinarium pertinent, *juxta n.* 730.

CASUS CLXVIII.

Z. 7. Hæreditatem mihi reliquit, quam adeo patre meo diſſentiente, quæritur, an pater Jure ſibi arroget hæreditatis uſumfructum? Reſpondeo: Non pertinere uſumfructum ad patrem; quia eo caſu pater non videtur dignus eſſe uſufructu, *juxta n.* 735.

CASUS CLXIX.

A. 8. Filiusf. Centurio ex ſtipendiis pepercit mille, quæritur, an pater A. ſit uſufructuarius? Reſpondeo: Patrem A. uſufructuarium non eſſe, quia peculium caſtrenſe plenô Jure ad filiumf. pertinet, *juxta n.* 737.

CASUS CLXX.

B. 8. Profeſſor Juris lucratus eſt mille ex ſalario, quæritur, an pater B. habeat lucri uſumfructum? Reſpondeo: Patrem B. non habere uſumfructum lucri, quia tale lucrum refertur ad peculium quaſi caſtrenſe, *juxta n.* 739.

CASUS CLXXI.

C. 8. Ultimam voluntatem ſuam coram Notario & Teſtibus declarat, Notarium requirendo, quatenus in ſcripturam redigatur, quæritur, quale ſit Teſtamentum, & quid ultrà ad illud requiratur? Reſpondeo: Hoc Teſtamentum eſſe mixtim nuncupativum, *juxta n.* 745. & requiri ad illud, præter ſeptem qualitates in Compendio notatas, prælectionem teſtatori faciendam, *juxta n.* 745.

CASUS

CASUS CLXXII.

D. 8. Ultimam voluntatem explicat coram ſeptem amicis, ægroti inviſendi gratiâ congregatis, quæritur, an teſtamentum teneat? Reſpondeo: Teſtamentum non tenere, quia teſtes debent eſſe ſpecialiter rogati, *juxta n.* 749.

CASUS CLXXIII.

E. 8. Condit teſtamentum in ſcriptis coram 7. teſtibus, quorum duo illud non ſubſcripſerunt, quæritur, an teſtamentum ſit validum? Reſpondeo: Teſtamentum invalidum eſſe, quia omnes teſtes, & quidem unusquisque pro ſe illud ſubſcribere debet, *juxta n.* 751.

CASUS CLXXIV.

F. 8. Teſtamentum cœpit condere, & interim habito longiori diſcurſu cum amico, illud continuat, quæritur, an ſubſiſtat? Reſpondeo: Teſtamentum non ſubſiſtere, quia debet fieri unico contextu, niſi caſus neceſſitatis eveniret, *juxta n.* 753.

CASUS CLXXV.

G. 8. Miles præſidiarius coram duobus teſtibus voluntatem ſuam explicuit, quæritur, an Jure? Reſpondeo: Teſtamentum non valere, quia lex tantùm conceſſit privilegium teſtamentum minùs ſolenne faciendi militibus in actuali expeditione militari occupatis, *juxta n.* 772.

CASUS CLXXVI.

H. 8. Miles, cum exercitu per patriam ſuam tranſiens, ubi teſtamentum requirit 7. teſtes, voluntatem ſuam declarat in ſcriptis, nullâ aliâ adhibitâ ſolemnitate, quæritur, an Teſtamentum ſit legitimum? Reſpondeo: Teſtamentum legitimum eſſe, ſi belli occaſione H. per patriam ſuam migraverit, & tantum temporis non ſuper fuerit, ut omnes ſolemnitates adhiberentur, *juxta n.* 775.

CASUS CLXXVII.

I. 8. Advocatus coram duobus teſtibus voluntatem ſuam declarat, quæritur, an rite ſit teſtatus? Reſpondeo: I. non eſſe rite teſtatum, quia milites togati non gaudent privilegiis, militibus in expeditione bellicâ conceſſis, *juxta n.* 774.

CASUS CLXXVIII.

K. 8. Ruſticus in Civitate teſtamentum condidit coram quinque teſtibus, quæritur, an teſtamentum validum ſit? Reſpondeo: Teſtamentum

mentum invalidum eſſe, quia in hoc caſu, nec locus, nec teſtium inopia ſolennitatum remiſſionem admittit, *juxta n.* 783.

CASUS CLXXIX.

L. 8. Pater teſtamentum inter liberos propriâ manu ſcribit, at non ſubſcribit, quæritur, quid Juris? Reſpondeo: Teſtamentum valere, modò conſtet propriâ teſtatoris manu ſcriptum eſſe & munitum die & Conſule, cùm per hoc ſufficiens habeatur certitudo de voluntate teſtatoris, *juxta n.* 790.

CASUS CLXXX.

M. 8. Tempore contagionis, voluntatis ſuæ elogium erexit in præſentia quinque teſtium, quæritur, an elogium ſit validum? Reſpondeo: Hoc elogium non eſſe validum, quia ob metum morbi tantùm conſociatio 7. teſtium remittitur, *juxta n.* 792.

CASUS CLXXXI.

N. 8. Declaravit ſe coram duobus teſtibus, ſe velle Eccleſiam hæredem inſtituere, quæritur, ſitne Eccleſia hæres? Reſpondeo: Eccleſiam hæredem non eſſe, quia voluntas perfecta, etiam de Jure naturæ, ad teſtamentum requiritur, *juxta n.* 801.

CASUS CLXXXII.

O. 8. Coram duobus itineris ſociis me hæredem nominavit, quæritur, an in vim hujus nominationis poſſim hæreditatem adire? Reſpondeo: Me hæreditatem adire poſſe, modò itineris ſocii homines ſint probi, & fide digni, *juxta n.* 803.

CASUS CLXXXIII.

P. 8. Ingreſſus initium anni decimi tertii, Cajum ſcribit hæredem, quæritur, an hæreditas Cajo debeatur? Reſpondeo: Hæreditatem Cajo non deberi, quia ob defectum ætatis impuberes repelluntur à teſtamenti factione, *juxta n.* 805.

CASUS CLXXXIV.

Q. 8. Horâ duodecimâ & primâ furore correptus, mediô primæ condit teſtamentum, quæritur, an teſtamentum Jure ſubſiſtat? Reſpondeo: Teſtamentum ſubſiſtere, ſi Medici adhibiti de mentis ſanitate deponant, cùm Notarius & teſtes non tam facilè præſumantur percipere ſtatum morbi, *juxta n.* 813.

CASUS CLXXXV.

R. 8. Subjectus patriæ poteſtati hæredem ſcribit Mevium cum patris conſenſu, quæritur, an teſtamenttum valeat, & quoad quæ bona? Reſpondeo: Hoc teſtamentum tantùm valere quoad peculium caſtrenſe, ſeu quaſi caſtrenſe, quia teſtamenti factio ab alieno arbitrio pendere nequit, *juxta n.* 814. *&* 819.

CASUS CLXXXVI.

S. 8. Filiusf. cum conſenſu patris Eccleſiam ſcribit hæredem, quæritur, an Eccleſia hæres ſit? Reſpondeo: Eccleſiam hæredem eſſe, quia in favorem piæ cauſæ filiusf. quoad hunc actum habetur pro emancipato, *juxta n.* 825.

CASUS CLXXXVII.

T. 8. Filiusf. patre conſentiente ita voluntatem ſuam explicat: *Titius hæres meus eſto, & ſi hoc Teſtamentum non valeat ùt Teſtamentum, valeat ùt codicillus, mortis causâ donatio, vel omni meliori modo,* quæritur, an, & quomodo valeat hæc diſpoſitio? Reſpondeo: Hanc diſpoſitionem valere non ùt teſtamentum, ſed ùt mortis causâ donationem, ob adjectam clauſulam codicillarem, cum patris conſenſu, *juxta n.* 827.

CASUS CLXXXVIII.

V. 8. Habens liberos ſic ſtatuit in ultima voluntate: *Frater meus mihi hæres eſto,* quæritur, an diſpoſitio ſit valida? Reſpondeo: Diſpoſitionem invalidam eſſe, quia liberi, ob fictum condominium in bona paterna, vel nominatim inſtituendi, aut exhæredandi ſunt, *juxta n.* 832.

CASUS CLXXXIX.

W. 8. Ex filio præmortuo habens nepotem, me hæredem ſuum nominat, quæritur, an nominatio valida ſit? Reſpondeo: Nominationem hanc invalidam eſſe, quia nepos filium defunctum repræſentans ad modum filii honorandus eſt, *juxta n.* 837.

CASUS CXC.

X. 8. Mater liberos habens Cajum ſcribit univerſalem hæredem, quæritur, an liberi poſſint hoc teſtamentum impugnare, & quâ querelâ? Reſpondeo: Liberos poſſe hoc teſtamentum impugnare querelâ nullitatis, quia teſtamentum, in quo liberi ſunt præteriti ſine causâ, ob non ſervatam formam nullum eſt, *juxta n.* 838.

CASUS CXCI.

Y. 8. Filium habens emancipatum, extraneum inſtituit hæredem, quæritur, an filius poſſit teſtamentum nullum dicere? Reſpondeo:

Filium poſſe teſtamentum nullum dicere, quia emancipati ob Jura familiæ, quæ adhuc retinent, inſtituendi, aut nominatim exhæredandi ſunt, *juxta n.* 839.

C A S U S CXCII.

Z. 8. Filius Titii *naturalis tantùm* præteritus eſt in Titii teſtamento, quæritur, an teſtamentum poſſit impugnari? Reſpondeo: Teſtamentum impugnari non poſſe, quia pater ob incertitudinem generationis non tenetur Filium Baſtardum hæredem inſtituere, *juxta n.* 841.

C A S U S CXCIII.

A. 9. Mater habens filium naturalem, legitimos tantùm inſtituit hæredes, quæritur: an diſpoſitio teneat? Reſpondeo: Diſpoſitionem non tenere, quia æquum eſt, ut mater filium naturalem inſtituat hæredem, cùm reciprocè teneatur illam inſtituere, *juxta n.* 840.

C A S U S CXCIV.

B. 9. Cœlebs fratrem ſuum hæredem ſcribit, quæritur, an pater B. poſſit diſpoſitionem impugnare, & quâ querelâ? Reſpondeo: Patrem querelâ nullitatis impugnare poſſe diſpoſitionem B., quia parentes & liberi mutuam ſibi debent pietatem, *juxta n.* 842.

C A S U S CXCV.

C. 9. Locô Patris emancipatoris ad hæreditatem vocat matrem ſuam, quæritur, an Pater poſſit contra teſtamentum agere, & quâ actione? Reſpondeo: Patrem impugnare poſſe teſtamentum actione nullitatis, quia de Jure novellarum teſtamentum nullum eſt, in quo Pater vel Mater emancipato omittuntur, *juxta n.* 843.

C A S U S CXCVI.

D. 9. Filius naturalis & patrem & matrem præterit, quæritur, an teſtamentum nullum ſit? Reſpondeo: Teſtamentum ſubſiſtere quoad patrem, non autem quoad matrem, quia filius naturalis obligatur matrem aut inſtituere, aut exhæredare, *juxta n.* 844.

C A S U S CXCVII.

E. 9. Unum ex fratribus nominat hæredem, alterius fratris nullâ factâ mentione, quæritur, an teſtamentum validum ſit? Reſpondeo: Teſtamentum validum eſſe, frater enim fratrem non tenetur nominatim hæredem ſcribere, neque exhæredare, *juxta n.* 845.

CASUS

CASUS CXCVIII.

F. 9. Filium exhæredat nullâ adjectâ causâ, quæritur, an exhæredatio ſit invalida, an tantùm iniqua? Reſpondeo: Exhæredationem invalidam eſſe, quippe quæ nominatim fieri debet causâ adjectâ, *juxta n.* 846.

CASUS CXCIX.

G. 9. Suum filium exhæredat, quia Patri violentas manus intulit, quæritur, an, ſi filius tantùm mimos ſecutus ſit, exhæredatio ſit invalida, an tantùm iniqua? Reſpondeo: Exhæredationem iniquam eſſe, quia quidem cauſa adjecta eſt, ſed non vera, *juxta n.* 847.

CASUS CC.

H. 9. Filium exhæredavit, quia ſtruxit inſidias vitæ Benjamini Patri dilectiſſimi, quæritur, an exhæredatio ſit invalida, an iniqua? Reſpondeo: Exhæredationem iniquam non eſſe, quia cauſam adjectam habet, cauſis in Novella expreſſis ſaltem æqualem; *juxta n.* 851.

CASUS CCI.

J. 9. Habens quinque liberos, & in bonis 12000., liberos ſuos nominatim inſtituit hæredes in legitima, quæritur, quanta ſit legitima? Reſpondeo: Legitimam eſſe 6000., quia ſi quinque ſint liberi aut plures, legitima ſe extendit ad mediam partem hæreditatis, *juxta n.* 853.

CASUS CCII.

K. 9. Parentes & tres fratres germanos habens ſuperſtites, patrem, matrem, & tres fratres inſtituit hæredes in legitima, quæritur, an legitima ſit triens, an ſemis? Reſpondeo: Legitimam eſſe ſemiſſem, quia, ne parentes numero plures minimum conſequantur, eorum legitima pariter aucta eſt, *juxta n.* 854.

CASUS CCIII.

L. 9. Habens 12000. in bonis, ſex fratres ſuos hæredes ſcribit in legitima, quæritur, quota millia legitimam conſtituant? Reſpondeo: Legitimam ſex millia conſtituere, quia etiam fratrum legitima, ſi numerum quinarium excedant, ad ſemiſſem aucta eſt, *juxta n.* 855.

CASUS CCIV.

M. 9. Fratrem ſuum Joannem inſtituit hæredem, quæritur, ſi frater Paulus appelletur, teneatne inſtitutio? Reſpondeo: Inſtitutionem tenere, quia error in nomine aut cognomine illam non vitiat, *juxta n.* 863.

CASUS CCV.

N. 9. Conſanguineum ſuum Petrum hæredem nominat, quæritur, an, ſi duo ſint Petri teſtatoris conſanguinei, valeat inſtitutio? Reſpondeo: Talem inſtitutionem non tenere, niſi probari poſſit unum præ alio teſtatori chariorem fuiſſe, *juxta n.* 862.

CASUS CCVI.

O. 9. Teſtamentum condidit hâc formulâ: *Ille mihi hæres eſto, quem frater meus nominaverit*, quæritur, an diſpoſitio valida ſit? Reſpondeo: Diſpoſitionem invalidam eſſe, cùm teſtamentum ſit noſtræ, non autem alienæ, voluntatis diſpoſitio, *juxta n.* 865.

CASUS CCVII.

P. 9. Me hæredem ſcripſit, *ſi frater meus ſe fecerit promoveri Doctorem Juris*, quæritur, an teſtamentum nullum ſit? Reſpondeo: Teſtamentum ſubſiſtere, quia hæres non tantùm purè, ſed etiam conditionatè inſtitui poteſt, *juxta n.* 875. & quia indirectè in arbitrium tertii conferri poteſt, *juxta n.* 866.

CASUS CCVIII.

Q. 9. Filium ſuum naturalem inſtituit univerſalem hæredem, quæritur, an inſtitutio valeat? Reſpondeo: Inſtitutionem non valere, quia hoc modo vitium paternum refrænandum eſt, *juxta n.* 872.

CASUS CCIX.

R. 9. Filiumſ. hæredem nominat, *ſi proximâ Dominicâ poſt mortem teſtatoris Sacrum non audiêrit*, quæritur, an R. patris teſtamentum poſſit impugnari? Reſpondeo: Teſtamentum impugnari poſſe à filioſ. Ratio ſtat in conditione lege impoſſibili, *juxta n.* 876.

CASUS CCX.

S. 9. Filium ſuum inſtituit hæredem in legitimâ, *ſi Profeſſor Juris factus fuerit*, quæritur, an filius teneatur conditionem adimplere? Reſpondeo: Filium non teneri ad implendam conditionem, quia legitima debet ab omni onere libera eſſe, *juxta n.* 878.

CASUS CCXI.

T. 9. Me inſtituit hæredem, *ſi Monaſterium Recollectorum ingreſſus fuero*, quæritur, an, ſi Ordo me recipere nolit, hæres ſim? Reſpondeo: Me hæredem eſſe, etiamſi Ordo recuſet me ſuſcipere, quia conditio, ſi penès hæredem non ſtet, ut adimpleatur, pro adimpleta habetur, *juxta n.* 879.

CASUS CCXII.

V. 9. Me hæredem ſcribit, hâc lege, ut hæres ſim 1. Januar. poſt teſtatoris mortem, quæritur, an inſtitutio teneat? Reſpondeo: Inſtitutionem tenere, quia dies certus, hæredis inſtitutioni adjectus per modum termini *à quo*, habetur pro non adjecto, *juxta n.* 880.

CASUS CCXIII.

W. 9. Hæredem me ſcribit, *cùm moriar*, quæritur, an, & quando hæres ſim? Reſpondeo: Me hæredem eſſe pro ſemper, quia dies adjectus ipſi hæredi habetur pro non adjecto, *juxta n.* 883.

CASUS CCXIV.

X. 9. Hæredem me deſignat, *ſi Titius Matrimonium contraxerit*, quæritur, an, & quando hæres ſim? Reſpondeo: Me hæredem eſſe, ſi Titius Matrimonium contraxerit, quia dies incertus, an, & quando ſit exiturus, tertio adſcriptus, conditioni æquivalet, *juxta n.* 882.

CASUS CCXV.

Y. 9. Me hæredem nominat, *ſi pater meus morietur*, quæritur, an, & quando poſſim hæreditatem adire? Reſpondeo: Me hæreditatem adire poſſe poſt mortem patris, quia, ſi conditio eveniat, retrotrahitur inſtitutio ad tempus mortis teſtatoris, *juxta n.* 881.

CASUS CCXVI.

Z. 9. Me hæredem inſtituit uſque ad biennium poſt ſuam mortem, quæritur, an, & quamdiu hæres ſim? Reſpondeo: Me pro ſemper hæredem eſſe, quia dies, per modum termini *ad quem* inſtitutioni hæredis adjectus, rejicitur, *juxta n.* 884.

CASUS CCXVII.

A. 10. Cupiens condere teſtamentum, ſic ſtatuit: *primo do lego* 6000. *Imper. ſecundo do lego* 6000. *Imper.* quæritur, an teſtamentum validum ſit? Reſpondeo: Teſtamentum nullum eſſe, quia hodie adhuc ad teſtamentum quà tale requiritur hæredis inſtitutio, *juxta n.* 888.

CASUS CCXVIII.

B. 10. Habens in bonis 12000. filio ſuo legat 4000. loco legitimæ, quæritur, an diſpoſitio teneat? Reſpondeo: Diſpoſitionem tenere, quia, ſi filiis certa bona loco legitimæ relicta ſint, in eâdem inſtituti cenſentur, *juxta n.* 890.

CASUS CCXIX.

C. 10. Sic ordinat in teſtamento : *Titius hæres meus eſto, & ſi Titius hæres meus eſſe non poßit, Mevius hæres eſto*, quæritur, qualis ſit inſtitutio? Reſpondeo: Eſſe ſubſtitutionem vulgarem ſub clauſula ſpeciali in caſum impotentiæ, *juxta n.* 892.

CASUS CCXX.

D. 10. Hôc modô diſponit : *Cajus hæres meus eſto, & ſi Cajus hæres meus eſſe nolit, Sempronius hæres eſto*, quæritur, an Sempronius ſit admittendus, ſi Cajus hæres eſſe non poſſit? Reſpondeo: Sempronium ad hæreditatem admittendum non eſſe, ſi Cajus non poſſit, quia ſubſtitutus in unum caſum ſpecialem non intelligitur ſubſtitutus in alium omiſſum, *juxta n.* 893.

CASUS CCXXI.

E. 10. Teſtamentum erigit hâc formâ : *primus hæres meus eſto, ſi primus hæres non fuerit, ſecundus hæres eſto*, quæritur, an poſt aditionem & mortem primi ſecundus hæres ſit? Reſpondeo : Secundum hæredem non eſſe, ſi primus mortuus fuerit, quia aditione hæreditatis per inſtitutum factâ exſpirat vulgaris ſubſtitutio, *juxta n.* 898.

CASUS CCXXII.

F. 10. Avus paternus, filio ſuperſtite, tale condit teſtamentum : *Filium meum Cajum hæredem inſtituo, & ſi nepos meus impubes infra impubertatis annos deceſſerit, Sempronius illi hæres eſto*, quæritur, an ſubſtitutio teneat? Reſpondeo : Subſtitutionem non tenere, quia ille, cui ſubſtituitur, poſt mortem ſubſtituentis in alterius poteſtatem recidere non debet, *juxta n.* 904.

CASUS CCXXIII.

G. 10. Filiô impubere emancipatô, condit teſtamentum hôc modô: *Filius meus Titius hæres meus eſto, & ſi infra impubertatis annos mortuus fuerit, Cajus hæres eſto*, quæritur, an teſtamentum valeat? Reſpondeo : Teſtamentum non valere, quia emancipatus immediatè in patria poteſtate conſtitutus non eſt, quod tamen requiritur ad ſubſtitutionem pupillarem, *juxta n.* 901. & 902.

CASUS CCXXIV.

H. 10. Filium habens natum annos 15. hanc diſpoſitionem erexit : *Filius meus Cajus hæres mihi eſto, & ſi filius mortuus fuerit, Sempronius hæres ſit*, quæritur, an diſpoſitio valeat? Reſpondeo: Diſpoſitionem non valere, puberibus enim pupillariter non ſubſtituitur, quia ſibimetipſis teſtamentum condere poſſunt, *juxta n.* 903.

CASUS

CASUS CCXXV.

J. 10. Filium habens impuberem, ſic diſponit: *Filius meus Titius exhæres eſto, quia mimos ſecutus eſt, & ſi infra impubertatis annos obiêrit, Mevius eidem hæres ſit*, quæritur, an hæc ordinatio valida ſit? Reſpondeo: Ordinationem invalidam eſſe, quia niſi pater ſibi ſcripſerit hæredem, pupillaris ſubſtitutio non ſubſiſtit, *juxta n.* 908.

CASUS CCXXVI.

K. 10. Mater filium habens impuberem, ſic ſtatuit: *Filius meus Mevius hæres eſto, ſi filius impubes mortuus fuerit, Titius eidem hæres ſit*, quæritur, an ſubſtitutio ſubſiſtat? Reſpondeo: Subſtitutionem non tenere de Jure Romano, quia mater patriam poteſtatem non habet, *juxta n.* 906.

CASUS CCXXVII.

L. 10. Filio ſuo ſubſtituit pupillariter coram 5. teſtibus, quæritur, an ſubſtitutio valeat? Reſpondeo: Subſtitutionem non valere, quia, licèt teſtamentum patris reſpectu liberorum ſuorum privilegiatum ſit, attamen reſpectu extranei ſubſtituti non eſt, *juxta dicta de Teſtamentis*.

CASUS CCXXVIII.

M. 10. Mater filium habens furioſum, aut mente captum, tale teſtamentum erexit: *Filium meum Titium hæredem inſtituo, & ſi filius meus in furore mortuus fuerit, Mevius eidem hæres ſit*, quæritur, an diſpoſitio valeat? Reſpondeo: Diſpoſitionem valere, quia licèt mater de Jure Romano verè pupillariter ſubſtituere nequeat, poteſt tamen exemplariter, *juxta n.* 916.

CASUS CCXXIX.

N. 10. Teſtamentum condidit, & eidem mortuo ſupernaſcitur filius, quæritur, an, & quomodo teſtamentum infirmetur? Reſpondeo: Teſtamentum rumpi per agnationem, quia quidem in eodem ſtatu manet teſtator, circa teſtamentum tamen aliquid accidit, quod illud vitiat, *juxta n.* 921.

CASUS CCXXX.

O. 10. Coram 7. teſtibus erexit teſtamentum in anno primo, Titiô hærede inſtitutô, & liberis ritè exhæredatis, in anno ſecundo coram 2. teſtibus teſtamentum condit, in quo liberos nominatim hæredes ſcribit,

 quæri-

quæritur, cui teſtamento ſtandum ſit? Reſpondeo: Teſtamento 2do ſtandum eſſe, quia, tanquam privilegiatum, 1mum rumpit, *juxta n.* 921. & 922.

CASUS CCXXXI.

P. 10. Teſtium ſubſcriptiones à teſtamento avulſit, de cætero teſtamentum ſalvum relinquendo, quæritur, an teſtamentum ruptum ſit? Reſpondeo: Teſtamentum ruptum eſſe, quia talis avulſio aliô fine facta non præſumitur, quàm ut voluntas ultima revocaretur, *juxta n.* 923.

CASUS CCXXXII.

Q. 10. Teſtamentum fecit, in quo hæredis inſtitutione, ſubſcriptione teſtatoris & teſtium, nec non ſigillis ſalvis, mus arroſit lineam, quæritur, an teſtamentum ruptum dici debeat? Reſpondeo: Teſtamentum ruptum dici debere, quia eo caſu verſamur in dubio voluntatis, an non fortè teſtator in linea ſic arroſa contrariam fecerit diſpoſitionem, *juxta n.* 928.

CASUS CCXXXIII.

R. 10. Teſtamentum ſcripſit, in quo ſubſcriptiones teſtium ſunt per aquam pluvialem corruptæ, quæritur, an Teſtamentum adhuc ſubſiſtat? Reſpondeo: Teſtamentum adhuc ſubſiſtere, modò adhuc omnia ſint legibilia, quia eo caſu præſumi non poteſt voluntatis priſtinæ mutatio, *juxta n.* 924.

CASUS CCXXXIV.

S. 10. Teſtamentum confecit, quod apud me in teſtium ſubſcriptionibus raſum reperitur, quæritur, an adhuc valeat? Reſpondeo: Teſtamentum adhuc valere, quia ſi apud tertium raſum, aut cancellatum reperiatur, ab hoc raſura aut cancellatio facta præſumitur, *juxta n.* 926.

CASUS CCXXXV.

T. 10. In ſuo teſtamento delevit omnia legata, fideicommiſſa, *mortis cauſa* donationes, ſubſtitutiones, & tutelarum delationes, quæritur, an ruptum ſit? Reſpondeo: Teſtamentum ruptum non eſſe, cùm raſura in parte accidentali, etiam conſultô teſtatore facta, teſtamentum non infirmet, *juxta n.* 927.

CASUS CCXXXVI.

V. 10. Teſtamentum erexit, quod poſt mortem ejus in loco abjecto reperitur, quæritur, an teſtamentum ſit exequendum? Reſpondeo: Teſtamentum exequendum non eſſe; cùm homines ſua elogia diligentiſſimè cuſtodire ſoleant, *juxta n.* 925.

CASUS CCXXXVII.

W. 10. Me ſcripſit hæredem, quæritur, an me hæreditatem repudiante, legata & fideicommiſſa adhuc ſint præſtanda? Reſpondeo: legata & fideicommiſſa præſtanda non eſſe, quia ruente principali per non aditionem hæredis, ruunt & acceſſoria teſtamenti, *juxta n.* 929.

CASUS CCXXXVIII.

X. 10. Teſtamentô conditô à Titio arrogatur, quæritur, an, & quomodo teſtamentum ruat? Reſpondeo: Teſtamentum ruere per minimam capitis diminutionem, *juxta n.* 929.

CASUS CCXXXIX.

Y. 10. Filium ſuum exhæredavit nominatim hôc modô: *Filius meus Petrus exhæres eſto, hæres autem meus ſit Paulus*, quæritur, an & quæ actio Petro contra teſtamentum detur? Reſpondeo: Petro dari contra teſtamentum actionem nullitatis, quia ob cauſam non expreſſam invalidè exhæredatus eſt, *juxta n.* 933.

CASUS CCXL.

Z. 10. Filium ſuum exhæredavit, *quia violentas patri manus intulit*, quæritur, ſi filius factum negat, poſsítne teſtamentum impugnare? Reſpondeo: Filium teſtamentum impugnare poſſe querelâ inofficioſi, ſi hæres ſcriptus illam cauſam probare nequeat; *juxta n.* 925.

CASUS CCXLI.

A. 11. Matrem habens ſuperſtitem, me ſcribit hæredem, quæritur, an, & quæ actio matri contra teſtamentum competat? Reſpondeo: Matri competere actionem nullitatis contra teſtamentum, quia, ſi parentes omittantur in teſtamento, teſtamentum nullum eſt, *juxta n.* 936.

CASUS CCXLII.

B. 11. Fratre ſuô germano præterito me hæredem nominat, quæritur, an, & quæ actio fratri detur? Reſpondeo: Non dari fratri actionem inofficioſi, niſi ipſi turpis perſona prælata foret, *juxta n.* 937.

CASUS CCXLIII.

C. 11. Filium ſuum ſcripſit hæredem in ſextante, quæritur, an filio, & quæ actio ſit concedenda? Reſpondeo: Filio concedendam eſſe

actio-

actionem ad ſupplementum legitimæ, quia eo caſu neque præteritus eſt, neque iniquè exhæredatus, *juxta n.* 938.

CASUS CCXLIV.

D. 11. à patre præteritus in teſtamento, annô 29nô à morte patris inſtituit querelam, quæritur, an ſit audiendus? Reſpondeo: Illum audiendum eſſe, quia querela nullitatis, quæ filio in hoc caſu convenit, durat 30. annis, *juxta n.* 940.

CASUS CCXLV.

E. 11. à patre eſt præteritus, quæritur, an legata & fideicommiſſa, in tali teſtamento relicta, ſint præſtanda? Reſpondeo: Legata & fideicommiſſa præſtanda non eſſe, quia teſtamentum, tanquam principale, per querelam nullitatis ruens, deſtruit quoque acceſſoria, *juxta n.* 941.

CASUS CCXLVI.

F. 11. In teſtamento Patris præteritus, ante patrem moritur, quæritur, an hæres F. poſſit teſtamentum impugnare? Reſpondeo: Hæredem teſtamentum impugnare poſſe, cùm ob præteritionem filii ita invalidum ſit, ut neque poſt mortem ejuſdem convalidetur, *juxta n.* 942.

CASUS CCXLVII.

G. 11. Exhæredatus ex cauſa juſta, quam hæres ſcriptus non probat, prætendit totam patris hæreditatem, quæritur, an Jure? Reſpondeo: Illum Jure non prætendere totam hæreditatem, quia teſtamentum per querelam inofficioſi rumpitur, ſalvis tamen ejus acceſſoriis, *juxta n.* 941.

CASUS CCXLVIII.

H. 11. à Patre inſtitutus in ſextante petiit ſibi adjudicari totam patris hæreditatem, quæritur, an rectè? Reſpondeo: Ipſum non rectè petere totam patris hæreditatem, quia actio ad ſupplementum legitimæ tendit tantùm ad ſupplendum id, quod legitimæ deeſt, *juxta n.* 944.

CASUS CCXLIX.

J. 11. Filio ſuo 6000. Imper. in teſtamento reliquit locô legitimæ, quæritur, an, & quæ actio filio debeatur? Reſpondeo: Ipſum habere de Jure Romano querelam nullitatis, *juxta n.* 947. licèt ipſi hodie non competat actio, *juxta n.* 948.

CASUS

CASUS CCL.

K. II. Turpem Perſonam inſtituit hæredem, fratre germano & conſanguineo præteritis, quæritur, an, & quam actionem fratres habeant? Reſpondeo illos agere poſſe querelâ inofficioſi, quia germani & conſanguinei hoc modo injuriâ afficiuntur, *juxta N. 951.* intellige hoc ita de fratre conſanguineo, ſi germanus deficiat.

CASUS CCLI.

L. II. Fratrem uterinum præteriit, Baſtardo extraneo inſtituto hærede, quæritur, an frater habeat querelam? Reſpondeo illum querelam non habere, quia uterini, cùm non ſint agnati, non intelliguntur tam gravi injuriâ affici, *juxta N. 952.*

CASUS CCLII.

M. II. Filium ex fratre germano præteriit, turpi perſonâ inſtitutâ, quæritur, qualem filius habeat actionem? Reſpondeo: filium nullam querelam habere, quia fratrum germanorum filii, licèt ad Hæreditatem admittantur, à querela repelluntur, *juxta N. 993.*

CASUS CCLIII.

N. II. Filius meus poſt mortem vendit fundum hæreditarium, elocat domos &c., ſed negat ſe meum hæredem eſſe, quæritur, quid ſit præſumendum? Reſpondeo: filium meum hæredem declarandum eſſe, quia res hæreditarias diſtrahendo ſe pro Hærede gerit, *juxta N. 956.*

CASUS CCLIV.

O. II. Hæres, erecto bonorum hæreditariorum coram Notario & teſtibus repertorio, primo creditori ſolvit 1000., & ſecundo pariter 1000., quæritur, an tertio creditori etiam 1000. prætendenti ultra vires hæreditatis teneatur? Reſpondeo: illum non teneri ultra vires hæreditatis, quia effectus inventarii ritè confecti eſt, quòd hæres per omnia ſervetur indemnis, *juxta N. 960.*

CASUS CCLV.

P. II. Hæres nullo confecto inventario hæreditatem adivit, quæritur, an ultra vires hæreditatis creditoribus teneatur? Reſpondeo: illum teneri etiam ultra vires hæreditatis, quia hæres neglecto inventario obligatur ad omnia debita tam hæreditaria, quàm teſtamentaria ſine diminutione exſolvenda, *juxta N. 961.*

CASUS CCLVI.

Q. II. Ita in ſuo teſtamento ordinavit: *Titio do lego fundum meum Tuſculanum*, quæritur, quot, & quales Titio contra hæredem competant actiones? Reſpondeo: Titio competere tres actiones ad legatum conſequendum, ſcilicet rei vindicationem, actionem perſonalem ex teſtamento, & actionem hypothecariam, *juxta N.* 965.

CASUS CCLVII.

R. II. Legavit mihi fundum Tuſculanum ad Titium pertinentem, quæritur, qualis mihi detur actio? Reſpondeo: mihi non dari actionem rei vindicationis, quia res legata in ſpecie conſiſtit, & aliena eſt, cujus dominium ſtatim poſt mortem teſtatoris mihi non acquiritur, *juxta N.* 966. per conſequens legatario datur actio perſonalis ex teſtamento.

CASUS CCLVIII.

S. II. Legavit tibi 1000. imper., quæritur, quam actionem debeas intentare? Reſpondeo: tibi competere actionem perſonalem ob legatam quantitatem, *juxta N.* 971.

CASUS CCLIX.

T. II. In teſtamento mihi reliquit equum, vel bovem, quæritur, qualis mihi competat actio? Reſpondeo: mihi competere actionem perſonalem, quia legatarius rem alternativè legatam perſequi nequit rei vindicatione, *juxta N.* 969.

CASUS CCLX.

V. II. Titio inſtituto hærede, Sempronio legavit domum Tuſculanam, quæritur, an Sempronius bona V. poſſit actione hypothecariâ, pulſare? Reſpondeo: Sempronium bona V. pulſare poſſe actione hypothecaria, quia legatario pro legato univerſa defuncti bona ſunt obligata, *juxta N.* 972.

CASUS CCLXI.

W. II. Legavit tibi fundum Tuſculanum ad me pertinentem, quem credidit eſſe ſuum, quæritur, an legatum, vel ſaltem æſtimatio ſit præſtanda? Reſpondeo: neque fundum, neqne æſtimationem præſtandam eſſe, niſi teſtator ſciverit fundum alienum eſſe, quia aliàs non præſumitur hæredem voluiſſe rebus alienis comparandis gravare, *juxta N.* 975.

CA-

CASUS CCLXII.

X. 11. Legavit mihi fundum Tuſculanum tibi hypothecatum, & prædio tuo ſervientem, quæritur, an hæres teneatur fundum liberum præſtare? Reſpondeo: Hæredem teneri fundum liberum præſtare, non tamen à ſervitute, *juxta N.* 978.

CASUS CCLXIII.

Y. 11. Emit fundum Tuſculanum ſibi à Titio legatum, quæritur, an aliquid, & quid Y. debeatur? Reſpondeo: Y. deberi æſtimationem fundi, quia illum conſecutus eſt titulo oneroſo, *juxta N. 980.*

CASUS CCLXIV.

Z. 11. Legavit mihi fundum Tuſculanum, eundem fundum mihi etiam legavit Ulpianus, quæritur, quid ex primo, quid ex ſecundo teſtamento conſequar? Reſpondeo: me ex primo teſtamento conſequi fundum Tuſculanum, & ex ſecundo neque rem, neque æſtimationem illius, utpote quæ rei ineſt, *juxta N.* 983.

CASUS CCLXV.

A. 12. Legatum reliquit hâc formulâ: *primo & ſecundo fundum Tuſculanum do lego, hâc conditione, ut ſecundus mihi faciat exſtrui Epitaphium,* quæritur, an, ſi ſecundus ſuam portionem repudiet, primo accreſcat, & quomodo? Reſpondeo: primo accreſcere portionem ſecundi cum ſuo onere, quia conjuncti propter unitatem ſermonis quaſi in unum corpus redacti ſunt, *juxta N.* 986.

CASUS CCLXVI.

B. 12. Legatum erexit hoc modo: *primo fundum Tuſculanum do lego, ſecundo fundum Tuſculanum do, lego hâc conditione, ut primus ſepulchrum Domini inviſat,* quæritur, an, ſi primus legatum repudiet, ſecundo portio accreſcat, & quomodo? Reſpondeo: ſecundo portionem primi accreſcere, ſed ſine onere, quia teſtator eo animo disjunxiſſe videtur legatarios, ut unusquiſque ſuum onus ferat, & non alienum, *juxta N. 987.*

CASUS CCLXVII.

C. 12. Legavit mihi fundum ſuum Tuſculanum, quem putavit eſſe tuum, quæritur, an legatum ſit præſtandum? Reſpondeo: legatum præſtandum eſſe, quia in hoc caſu veritas & teſtatoris voluntas opinioni prævalet, *juxta N.* 995.

CASUS CCLXVIII.

D. 12. Legatum hoc modo celebravit: *Titi! mille, quos mihi debes, tibi do lego*, quæritur, an aliquid, & quid præſtandum ſit? Reſpondeo Titio extradendum eſſe inſtrumentum obligationis, *juxta N. 998.*

CASUS CCLXIX.

E. 12. Ita mihi legavit: *Mevi! mille, quos tibi debeo, ſi Doctor juris creatus fueris, tibi do lego,* quæritur, an, & quomodo valeat legatum? Reſpondeo: legatum valere, ſi plus in legato ſit, quàm in debito, re, loco, tempore, vel causâ, *juxta* N. 999. quemadmodum in caſu plus eſt in legato tempore.

CASUS CCLXX.

F. 12. Legavit mihi mille, quos tu teſtatori debes, quæritur, an mihi mille ab hærede ſint præſtandi? Reſpondeo: mihi mille præſtandos eſſe ab hærede, quia non tantùm res corporales, ſed etiam incorporales, ſcilicet actio teſtatori competens contra tertium, legari poteſt, *juxta* N. 1002.

CASUS CCLXXI.

G. 12. Habens in bonis ſuis fundos & equos, legavit mihi fundum & equum, quæritur, an, & qualis equus & fundus mihi ſit præſtandus? Reſpondeo: mihi equum præſtandum eſſe, ſaltem quomodo à natura determinatur, imò licèt teſtator nullum in bonis habeat; ſecus eſt circa fundum, ſi teſtator nullum in bonis reliquerit, *juxta* N. 1007. *& 1008.*

CASUS CCLXXII.

H. 12. Habens in patrimonio ſuo domos, legat mihi domum, quæritur, an, & qualis domus mihi debeatur? Reſpondeo: mihi domum ab hærede præſtandam eſſe, quæ viliſſima non ſit, ſed tamen nec optima, niſi electio penès me exiſtat, *juxta* N. *1012.*

CASUS CCLXXIII.

J. 12. Non habens in bonis ſuis fundos, neque equos, legat mihi & fundum & equum, quæritur, an, & qualis fundus & equus ſit præſtandus? Reſpondeo: mihi præſtandum non eſſe fundum, bene autem equum, quia in primo caſu vilior poſſet determinari fundus, quàm ullum factum humanum determinâſſet, *juxta* N. *1009.*

CA-

K. 12. Ita ordinavit: *hæres meus Titio præſtet unum ex equis meis*, quæritur, qualis equus ſit præſtandus? Reſpondeo: equum præſtandum eſſe, non tamen peſſimum, quia electio penes hæredem eſt, *juxta* N*um.* 1012.

CASUS CCLXXV.

L. 12. Ita ſtatuit in Teſtamento: *Titius capiat unum ex fundis meis*, quæritur, qualis fundus â Titio poſſit occupari? Reſpondeo: fundum â Titio occupari poſſe, non tamen optimum, ratio eſt, ne hæres nimium gravetur â legatorio, *juxta* N. 1012.

CASUS CCLXXVI.

M. 12. Ita dixit in teſtamento: *Titio do lego fundum*, quæritur an hæres, an legatarius habeat electionem? Reſpondeo: legatarium habere electionem, quia teſtator neque ad illum, neque ad hæredem verba direxit, *juxta* N. *1011.*

CASUS CCLXXVII.

N. 12. Habens in patrimonio ſuo tres equos: Anglicum, Hiſpanicum, & Hungaricum, ita legat: *Titi! unum ex equis, quem voles, tibi vindica*, quæritur, an Titio Anglicus debeatur? Reſpondeo: Titio deberi equum, qualem voluerit, quia legati optionis eſt ſpecialis effectus, quòd penès legatarium ita ſit electio, ut etiam optimum eligere valeat, *juxta* N. 1014.

CASUS CCLXXVIII.

O. 12. Legat nepoti ſuo Petro mille, qui appellatur Paulus, quæritur, an legatum debeatur? Reſpondeo: legatum deberi, quia error in nomine illud non vitiat, modò aliàs de perſona conſtet, *juxta* N. 1019.

CASUS CCLXXIX.

P. 12. Mihi Theologo legat mille, quæritur, an legatum mihi Juriſtæ ſit præſtandum? Reſpondeo: legatum mihi Juriſtæ præſtandum eſſe, quia falſa demonſtratio non vitiat legatum, verba enim non curantur, ſi de perſona conſtet, *juxta* N. 1021.

CASUS CCLXXX.

Q. 12. Mihi in teſtamento relinquit mille, *quia ſum teſtatoris agnatus*, quæritur, an mihi affini legatum ſit exſolvendum? Reſpondeo: mihi affini legatum præſtandum non eſſe, quia falſa cauſa finalis legatum vitiat, ſine qua teſtator legaturus non fuiſſet, *juxta* N. 1023.

CASUS CCLXXXI.

R. 12. Te hæredem ſcribit, & tibi injungit, ut, niſi juri operam des, Mevio præſtes mille, quæritur, an legatum teneat? Reſpondeo: legatum tenere, quia abſurdum non eſt, ut â teſtatore honoratus ab eodem gravari poſſit, *juxta* N. 1027.

CASUS CCLXXXII.

S. 12. Fundum Eccleſiaſticum, pertinentem ad Eccleſiam A, legat ſcienter Eccleſiæ B., quæritur, an legatum, de jure Canonico etiam, valeat? Reſpondeo: legatum de jure Canonico valere, quia, licèt iniquum ſit, ut res Eccleſiaſticæ alienæ, Eccleſiæ legatæ, detineantur, *juxta* N. 1029. attamen inde non ſequitur, neque præſtandam eſſe rem, neque æſtimationem.

CASUS CCLXXXIII.

T. 12. Legat mihi mille, *ut Juri ſtudeam*, & alios mille, *ſi Juri ſtudeam*, quæritur, an legata mihi ſint præſtanda, antequam me juri applicem? Reſpondeo: legatum Imum mihi præſtandum eſſe ante impletum modum, præviâ tamen cautionis præſtatione, quia conditio ſuſpendit legatum, ſed modus non, *juxta* N. 1033.

CASUS CCLXXXIV.

V. 12. Relinquit mihi domum Tuſculanam, *ſi Canonicus presbyter factus non fuero*, quæritur, an mihi Canonico facto domus debeatur? Reſpondeo: mihi Canonico presbytero facto legatum deberi, ne homines â ſuſcipiendis ſacris Ordinibus avertantur, *juxta* N. 1034.

CASUS CCLXXXV.

W. 12. Legat mihi centum, quos Titius teſtatori debet, quæritur, an, ſi Titius nihil debeat, legatum ſubſiſtat? Reſpondeo: legatum non ſubſiſtere, ſi Titius nihil debeat, quia falſa demonſtratio vitiat legatum, ſi cum illa concurrat rei demonſtratæ non exiſtentia, *juxta* N. 1035.

CA-

CASUS CCLXXXVI.

X. 12. Legat Agnatio decem millia, quia teſtatoris familiam eſt propagaturus, quæritur, an relictum, ſi cognatus ſit, debeatur? Reſpondeo: legatum præſtandum non eſſe Agnatio, ſi cognatus ſit, quia falſa cauſa vitiat legatum, ſi teſtator aliàs legaturus non fuiſſet, *juxta* N. *1037.*

CASUS CCLXXXVII.

Y. 12. Domum Tuſculanam mihi legatam tibi donavit, quæritur, an legatum cenſeatur mihi ademptum? Reſpondeo: legatum cenſeri translatum à perſona in perſonam *juxta* N. 1042.

CASUS CCLXXXVIII.

Z. 12. Legavit mihi maſſam auri, ex quo fieri curavit ſcyphum, quæritur, an legatum ſit ademptum? Reſpondeo: legatum ademptum non eſſe, quia rei legatæ forma per totalem deſtructionem mutata non eſt, *juxta* N. *1040.*

CASUS CCLXXXIX.

A. 13. Legavit mihi mille, quæritur, an mihi, capitali teſtatoris inimico effecto, legatum debeatur, ſaltem ſi fuerim reconciliatus? Reſpondeo: mihi legatum deberi poſt reconciliationem, quia ſine illa præſumendum non eſt, quòd teſtator inimico ſuo voluerit beneficium præſtare, *juxta* N. *1041.*

CASUS CCXC.

B. 13. Habens in bonis ſuis 12000., primum & ſecundum nominat hæredem, tertio legat 6000., & quarto 6000, quæritur, quanta ſit primi & ſecundi falcidia? Reſpondeo: Falcidiam primi & ſecundi eſſe unam quartam, nempe 3000., quia ſi plures ſcripti ſint hæredes, unica tantùm quarta deducitur, *juxta* N. 1045.

CASUS CCXCI.

C. 13. Me ſcribit hæredem in ſemiſſe, & te in ſemiſſe, ut tu præſtes Mevio 6000, quæritur, quis noſtrûm poſſit falcidiam detrahere, & quantam? Reſpondeo: te poſſe falcidiam detrahere, & quidem 500. quia in hoc caſu ſinguli pro ſua parte quartam detrahunt, *juxta* N. 1046.

CASUS CCXCII.

D. 13. Te inſtituto hærede, legavit mihi 6000. & tibi totidem donavit, quia videt ſe moriturum, quæritur, quanta ſit falcidia: Reſpondeo: falcidiam eſſe 3000; tum quia quarta etiam detrahitur ex mortis causâ donationibus, *juxta* N. 1047, tum quia illa, quæ habentur titulo particulari, in falcidiam non imputantur.

CASUS CCXCIII.

E. 13. Te & me ſcripſit hæredes, tibi prælegavit mille, Mevio legavit quatuor, & Sempronio ſex, quæritur, quidnam tu conſequaris ex hæreditate? Reſpondeo: te conſequi 450. præter falcidiam, adeoque 1950. quia in falcidiam imputantur, quæ hæres jure hæreditario percepit, non autem, quæ alio titulo capit, *juxta* N. 1049.

CASUS CCXCIV.

F. 13. Me hæredem nominavit, legatis primo ſex, & ſecundo ſex millibus, hâc lege adjectâ, ut integra legata exſolvam, quæritur, quantum pro falcidia poſſim detrahere? Reſpondeo: me nihil poſſe detrahere pro falcidia, quia ejus detractio prohibetur â teſtatore, *juxta* N. 1054.

CASUS CCXCV.

G. 13. Te hæredem inſtituit, legatis mihi ſex, & Sempronio ſex millibus, tu exſolviſti mihi ſex, & Sempronio ſex, quæritur, quanta ſit tua falcidia? Reſpondeo: nullam eſſe tuam falcidiam, quia falcidia ceſſat, ſi hæres illi renuntiaverit, non tantùm expreſsè, ſed etiam tacitè, *juxta* N. 1052.

CASUS CCXCVI.

H. 13. Me inſtituit hæredem, & rogavit, quatenus dextantem reſtituam Mevio, quæritur, an fidei commiſſum ſit univerſale, & ad quem juris effectum? Reſpondeo: fideicommiſſum eſſe univerſale, quia ſicut hæreditas eſt nomen univerſale, ita pariter partes quotæ, in quas hæreditas dividitur, *juxta* N. *1059.*

CASUS CCXCVII.

I. 13. Mihi bona ſua donavit, ut eadem poſt mortem tibi reſtituam, quæritur, an fideicommiſſum ſit, & quale? Reſpondeo: fideicommiſſum eſſe conventionale, quia eſt donatio ſub modo, *juxta* N. *1058.*

CASUS CCXCVIII.

K. 13. Pater bona ſua hâc lege inter liberos diviſit, ut, uno improli defuncto, ad alios devolvantur, quæritur, an, & quale ſit fideicommiſſum? Reſpondeo: eſſe fideicommiſſum per conventionem, quod dicitur Conventionale, *juxta* N. 1060, & in ſpecie fidei commiſſum familiæ.

CASUS CCXCIX.

L. 13. Ita teſtamento cavit: *filius meus Cajus hæres meus eſto, rogo filium meum, quatenus poſt mortem hæreditatem Mevio reſtituat,* quæritur, an ſupernatis Cajo filiis fideicommiſſum ſit præſtandum? Reſpondeo: fideicommiſſum præſtandum non eſſe, ſupernatis liberis, quia tacitam conditionem adjunctam habet: *ſi nulli liberi ſupernati fuerint*, *juxta N. 1064.*

CASUS CCC.

M. 13. Me inſtituit hæredem, & in caſum futuræ alienationis mihi ſubſtituit Mevium, quæritur, an Mevius ſtatim â tempore ſecutæ alienationis fideicommiſſum perſequi poſſet? Reſpondeo: Mevium perſequi poſſe fideicommiſſum ſtatim poſt factam alienationem, ſi alienatio fuerit voluntaria, & non neceſſaria, *juxta* N. 1065.

CASUS CCCI.

N. 13. Me inſtituit hæredem eâ lege, ut N. liberis quoque meam hæreditatem relinquam, quæritur, an ſi mea hæreditas plus contineat, quàm ad me ex bonis N. pervenit, fideicommiſſum teneat? Reſpondeo: fideicommiſſum non tenere hoc caſu, quia fideicommiſſarius gravari poteſt, in quantum conſecutus eſt â teſtatore, ſed non ultrà, *juxta* N. 1068.

CASUS CCCII.

O. 13. Filium ſuum hæredem ſcripſit in legitima, eundémque rogavit, ut eandem Sempronio reſtituat, quæritur, an fideicommiſſum ſubſiſtat? Reſpondeo: fideicommiſſum non ſubſiſtere, quia legitima fideicommiſſo gravari non poteſt, utpote quam filius non habet ex teſtatoris judicio, ſed ex legis providentia, *juxta N.* 1069.

CASUS CCCIII.

P. 13. Vocavit me ad hæreditatem ſuam, & vetuit, ne bona extra familiam alienem, quæritur, an, & quale ſit fideicommiſſum? Reſpondeo: fideicommiſſum familiæ eſſe, quia prohibitio de non alienando cum cauſa, tacitum fideicommiſſum inducit, *juxta N.* 1070.

CASUS CCCIV.

Q. 13. Scripſit hæredem Cajum, eidémque prohibuit, ne bona alienaret, quæritur, an fideicommiſſum ſit? Reſpondeo; fideicommiſſum quidem tacitum eſſe, ſi cauſa adjecta ſit non alienationis, *juxta N.* 1070. At cùm hic cauſa non adſit, fideicommiſſum non eſt, *juxta N.* 1071.

CASUS CCCV.

R. 13. Te & me inſtituit hæredes, & rogavit nos, ut hæreditatem, continentem 12000. reſtituamus Mevio, quæritur, an, cùm mihi teſtator legâſſet 2000. loco Trebellianicæ, valeam detrahere 1500.?.. Reſpondeo: me non valere detrahere 1500. quia in Trebellianicam omnia imputantur qualicunque titulo obtenta, *juxta N.* 1075.

CASUS CCCVI.

S. 13. Primum & ſecundum inſtituit hæredes fiduciarios, quæritur, cùm debeat 6000. quota debitorum incumbat primo, & quota ſecundo? Reſpondeo: primo & ſecundo incumbere quadrantem, quia hæres fiduciarius dodrantem onerum tranſmittit in fideicommiſſarium, quadrante penès ſe remanente, *juxta N.* 1077.

CASUS CCCVII.

T. 13 Habens in patrimonio 12000. filium hæredem inſtituit, eundémque rogavit, quatenus poſt mortem hæreditatem Mevio reſtituat, quæritur, quantum poſsit filius deducere? Reſpondeo: filium deducere poſſe quartam Trebellianicam præter legitimam, quia filius duplici jure venit, uno quà filius, & altero quà hæres fiduciarius, *juxta N.* 1082.

CASUS CCCVIII.

V. 13. Filium in teſtamento præteriit adjectâ clauſulâ, ut, ſi non valeat ùt teſtamentum, valeat omni meliori modo, quæritur, an hæres in teſtamento ſcriptus ſaltem aliquo titulo poſsit filium repellere? Reſpondeo: hæredem ſcriptum nullo titulo filium repellere poſſe, quia clauſula codicillaris tantùm ſupplet defectum ſolemnitatum extrinſecarum, non autem intrinſecarum, *juxta N.* 1087.

CASUS CCCIX.

W. 13. Nullô conditô teſtamentô defungitur relicto patre & filio, quæritur, quis W. ſuccedat? Reſpondeo: Filium ſuccedere W. excluso patre, quia liberi tanquam condomini bonorum parentalium ſuccedunt, excluſis aſcendentibus, *juxta N.* 1093.

CASUS CCCX.

X. 13. Habens tres filios: Legitimum, legitimatum, & naturalem tantùm, quæritur: cui debeatur patris hæreditas? Reſpondeo: Hæreditatem deberi legitimo, & legitimato per ſubſequens matrimonium, excluſo naturali, quia naturales regulariter patri non ſuccedunt, *juxta N.* 1095. *&* 1096

CA-

CASUS CCCXI.

Y. 13. Mater, habens duos filios; naturalem tantùm, & legitimatum, inteſtata moritur, quæritur, quis eidem ſuccedat? Reſpondeo: utrumque eidem ſuccedere, niſi ſit illuſtris, quia mater viciſsim ſuccedit filio naturali, *juxta N.* 1096.

CASUS CCCXII.

Z. 13. Habens filium vivum, ex altero prædefuncto ſex, & ex tertio decem nepotes, moritur, quæritur, in quot partes dividenda ſit Z hæreditas? Reſpondeo: hæreditatem dividendam eſſe in tres partes, quia liberi 2di gradûs cum liberis 1mi gradûs jure repræſentationis non in capita, ſed in ſtirpes ſuccedunt, *juxta N.* 1101.

CASUS CCCXIII.

A. 14. habuit tres filios, ex primo relinquit duos, ex altero quatuor, & ex tertio octo nepotes, & moritur inteſtatus, quæritur, nunquid hæreditas dividenda ſit in 14. partes? Reſpondeo: hæreditatem dividendam eſſe non in 14. ſed in 3. partes, quia liberi 2di gradûs, etiamſi ſoli ſint, non in capita, ſed in ſtirpes ſuccedunt, *juxta N.* 1102.

CASUS CCCXIV.

B. 14. Improles avum habet, & matrem, quæritur, quis B. inteſtati hæreditatem conſequatur? Reſpondeo: matrem conſequi B. hæreditatem quia parentes 1mi gradûs excludunt parentes 2di gradûs, *juxta N.* 1111.

CASUS CCCXV.

C. 14. Improles, avô paternô, avô & aviâ maternis ſuperſtitibus, moritur inteſtatus, quæritur, in quot portiones hæreditas ſit dividenda? Reſpondeo: hæreditatem dividendam eſſe in duas portiones, quia parentes 2di gradûs, defuncto æqualiter conjuncti, illi ſuccedunt in lineas, & non in capita, *juxta N.* 1112.

CASUS CCCXVI.

D. 14. Improles moritur, avô paternô, avô & aviâ maternis, nec non duobus fratribus germanis, in hæreditatis diviſione concurrentibus, quæritur, quota hæreditatis debeatur avo paterno? ... Reſpondeo: avo paterno deberi quintam partem hæreditatis, ſicut cæteris, quia, ſi cum parentibus 2di gradûs concurrant fratres germani, ſucceſsio fit in capita, *juxta N.* 1113.

CASUS CCCXVII.

E. 14. Avum maternum, avum & aviam paternos, duos fratres germanos, & ex tertio germano tres filios relinquit, quæritur, quotam ſint accepturi tres fratris germani filii? Reſpondeo: illos accipere ſextam portionem, nempe illam, quam parens illorum accepturus fuiſſet, quia in hoc caſu ſuccedunt in ſtirpes, *juxta N.* 1114.

CASUS CCCXVIII.

F. 14. Avum paternum, aviam maternam, & aviam paternam, & ex fratre germano prædefuncto quatuor filios relinquens, moritur, nullô erectô teſtamentô, quæritur, quantæ ſint 4. filiorum portiones? Reſpondeo: quartam eſſe quatuor filiorum portionem, quia fratrum germanorum filii cum aſcendentibus ſuccedunt non in capita, verùm in ſtirpes, *juxta N.* 1115.

CASUS CCCXIX.

G. 14. Moritur, fratre germano & conſanguineo relictis, quæritur, quanta utriuſque ſit portio? Reſpondeo: fratrem germanum defuncto ſuccedere, excluſô conſanguineô, quia germanus defuncto duplici vinculô junctus eſt, *juxta N.* 1122.

CASUS CCCXX.

H. 14. Fratrem germanum, fratris germani prædefuncti duos filios, & fratrem conſanguineum poſt ſe relinquens diem obit, quæritur, in quot partes hæreditas ſit partienda? Reſpondeo: hæreditatem partiendam eſſe in duas partes, quia cum fratribus germanis ſuccedunt alterius fratris prædefuncti filii jure repræſentationis, cum excluſione conſanguineorum, *juxta N.* 1123.

CASUS CCCXXI.

I. 14. Ex fratre A. prædefuncto quatuor, ex fratre B. præmortuo ſeptem filios, & fratrem uterinum habens defungitur, quæritur, quot ſint faciendæ hæreditatis partes? Reſpondeo: 11. partes hæreditatis faciendas eſſe, quia fratrum filii, ſi ſoli ſint, de jure Germaniæ in capita ſuccedunt, *juxta N.* 1124. uterinis excluſis, quia illi defuncto duplici vinculo conjuncti ſunt, *juxta N.* 1125.

CASUS CCCXXII.

K. 14. Relinquit duos fratris germani ex filio liberos, & fratrem conſanguineum, quæritur, quot fiant hæreditatis partes? Reſpondeo: hæreditatem totam conſequitur conſanguineus, quia poſt fratres germanos & eorum liberos ſuccedunt fratres unilaterales, *juxta N.* 1126.

CA-

CASUS CCCXXIII.

L. 14. Fratrem germanum, ex fratre germano altero duos filios, ex tertio tres nepotes relinquens, mortuus eſt, quæritur, quot ſint hæreditatis portiones faciendæ? Reſpondeo: duas hæreditatis partes faciendas eſſe, excluſis nepotibus, quia ultra fratrum filios nec jus repræſentationis, nec vinculi duplicitas attenditur, *juxta N.* 1126.

CASUS CCCXXIV.

M. 14. Promiſit mihi credere 1000. & equum, quæritur, qualis ſit contractus? Reſpondeo: non eſſe contractum, ſed pactum nudum, *juxta N.* 1158.

CASUS CCCXXV.

N. 14. Credidit tibi pecuniam Titii, quæritur, an ſit mutuum? Reſpondeo: mutuum non eſſe, quia ex parte mutuantis requiritur, ut ipſe rei mutuò dandæ ſit dominus. *juxta N.* 1161.

CASUS CCCXXVI.

O. 14. Titio 1000. numerat animo mutuandi, qui ſimul, atque à Titio ſunt acceptati, caſu pereunt, quæritur, quis damnum ſentiat? Reſpondeo: Titium damnum ſentire, quia mutuatarius rei mutuatæ eſt dominus, jam autem res perit ſuo domino, *juxta N.* 1162.

CASUS CCCXXVII.

P. 14. Dedit mihi mutuos 1000. ad annum, ea lege, ut poſt annum 1030. reſtituam, quæritur, an, & qua labe hic contractus ſit infectus? Reſpondeo: uſurâ, à jure improbatâ, hunc contractum infectum eſſe, cùm mutuum ſit contractus gratuitus, *juxta N.* 1163.

CASUS CCCXXVIII.

Q. 14. Meo patri ante annum 1670. dedit mutuos 500. imper. in variis duris ſpeciebus, quorum ſinguli valebant 30. groſsos, quæritur, an ego defungar reſtituendo 400. imper. aut pro quolibet 30. groſſos moderni temporis, aut quid tenear reſtituere? Reſpondeo: me teneri reſtituere tales ſpecies, quas accepi, aut addere tot de hodiernis ſpeciebus, quot bonitatem intrinſecam & extrinſecam acceptarum ſpecierum conſtituunt, cùm debeat fieri etiam reſpectus ad valorem extrinſecum, relatum ad merces, *juxta N.* 1169.

CASUS CCCXXIX.

R. 14. A me Ludovicum, habentem quartam unciæ auri puri, & valentem 5. Imper. accepit mutuum, quæritur, an reſtituendo Ludovicum continentem ſextam unciæ, valentem tamen 5. Imper. defungatur? Reſpondeo: ipſum non defungi reſtituendo talem Ludovicum, quia non reſtituit tantundem in bonitate intrinſeca, *juxta N. 1166.*

CASUS CCCXXX.

S. 14. Dedit mihi mutuum nummum argenteum, habentem mediam unciam argenti, valentem 30. groſſos, poſtmodum reductum ad 20. quæritur, an defungar eidem reſtituendo ſimilem nummum reductum, aut loco illius 20. groſſos? Reſpondeo: me defungi reſtituendo ſimilem nummum, aut 20. groſſos, quia aliàs plus reſtituerem, quàm accepiſſem, *juxta N.* 1171.

CASUS CCCXXXI.

T. 14. dedit mihi mutuos 1000. ad annum, lapsô annô non monitus omittit reſtitutionem, quæritur, an teneatur ad uſuras? Reſpondeo: illum teneri ad uſuras, quia de jure Germanico uſuræ à tempore moræ debentur, *juxta* N. *1173.*

CASUS CCCXXXII.

V. 14. Promiſit mihi uſum equi gratìs præſtare ad conficiendum iter Ratisbonam, quæritur, qualis ſit contractus? Reſpondeo: eſſe pactum de commodando, & non commodatum, quia requiritur ad commodatum, tanquam contractum realem, rei interventus, *juxta* N. 1177.

CASUS CCCXXXIII.

W. 14. Conceſſit mihi uſum quadrigæ ad annum erga præſtationem 10. Imper., quæritur, an commodatum ſit? Reſpondeo: commodatum non eſſe, ſed locationem conductionem, quia commodatum eſt contractus gratuitus, *juxta* N. 1180.

CASUS CCCXXXIV.

X. 14. Accepit à me uſum gratuitum tauri, quæritur, an defungatur reſtituendo juvencum? Reſpondeo: illum non defungi reſtituendo juvencum, quia commodatarius tenetur ad eandem numero rem reſtituendam, *juxta N.* 1182.

CA-

Y. 14. Commodavit mihi ſupellectilia aurea, ut illius amicum ruri hoſpitiô excipiam, quæritur, an, ſi ſupellectilibus non adhibuerim exactam diligentiam, tenear? Reſpondeo: me non teneri, quia ſi commodans ſuâ tantùm gratiâ contraxit, commodatarius non tenetur de media negligentia, *juxta* N. 1213.

CASUS CCCXXXVI.

Z. 14. Commodavit mihi quadrigam ad honorem præſtandum communi utriuſque noſtrûm amico, quæritur, ad qualem diligentiam tenear? Reſpondeo: me teneri ad diligentiam exactam, quia, ſi utriuſque gratiâ contractus ſit initus, commodatarius tenetur de media negligentia, *juxta* N. 1213.

CASUS CCCXXXVII.

A. 15. Habens ſcyphum aureum commodatum, & adamantem proprium, cùm utrumque exorto caſu fatali non poſſet ſervare, ſervat adamantem, quæritur, an damnum ſcyphi commodanti teneatur reparare? Reſpondeo: A. teneri ad damnum commodanti reparandum, quia commodatarius ſuas res, etiam pretioſiores, rebus commodatis vilioribus tenetur poſtponere, *juxta* N. 1215.

CASUS CCCXXXVIII.

B. 15. Supellectilia pretioſa, ſibi commodata, ad petitionem commodantis, per nuntium tranſmittit, quæritur, an ſupellectilibus caſu pereuntibus B. teneatur? Reſpondeo: B. non teneri, quia, ſi res commodata nuntii ferentis, à commodante ad tranſportandum miſſi, culpâ aut caſu interierit, damnum eſt commodantis, *juxta* N. 1218.

CASUS CCCXXXIX.

C. 15. Commiſit equum meum tuæ cuſtodiæ, quæritur, an ſit depoſitum? Reſpondeo: depoſitum eſſe, *juxta* N. *1223.* quia etiam res aliena deponi poteſt, *juxta* N. 1223.

CASUS CCCXL.

D. 15. Depoſuit apud me 100. crumenæ incluſos, quæritur, an, & quale ſit depoſitum? Reſpondeo: depoſitum eſſe irregulare, niſi depoſitarius ex poſt uſum illius pecuniæ rogaverit, *juxta* N. *1226.*

CA-

CASUS CCCXLI.

F. 15. Numeravit mihi 1000. cuſtodiendos, quæritur, an pecuniam jure poſſim conſumere? Reſpondeo: pecuniam me conſumere poſſe, quia res depoſita quidem eadem in ſpecie, non deteriorata, reſtituenda eſt, *juxta* N. 1229. fallit tamen in depoſito irregulari, *juxta* N. 1226.

CASUS CCCXLII.

F. 15. Recepit adamantem meum cuſtodiendum erga præſtationem quinque, quæritur, an depoſitum ſit, aut qualis contractus? Reſpondeo: depoſitum non eſſe, ſed locationem conductionem, depoſitum enim eſt contractus gratuitus, involvens amicitiæ præſtationem, *juxta* N. 1227.

CASUS CCCXLIII.

G. 15. Exactiſſimus paterf. rei depoſitæ præſtitit tantùm exactam diligentiam, quæritur, an de damno inde ſecuto teneatur? Reſpondeo: illum teneri, quia in depoſito etiam præſtatur culpa vera, *juxta* N. 1232.

CASUS CCCXLIV.

H. 15. Negligentiſſimus paterf. rei depoſitæ adhibuit minimam tantùm diligentiam, & res periit, quæritur, an H. ad damni refectionem teneatur? Reſpondeo: H. non teneri ad refectionem damni, quia regulariter non tenetur de negligentia media, nec minima, *juxta* N. 1234.

CASUS CCCXLV.

I. 15. Negligentiſſimus paterf. petiit à me depoſitum, quæritur, ſi depoſitum minimâ I. negligentiâ intereat, an teneatur? Reſpondeo: I. teneri ex tali damno, quia depoſitarius tenetur de minima negligentia, quoties deponentem ad deponendum provocat, *juxta* N. 1236.

CASUS CCCXLVI.

K. 15. Proprium ſcyphum argenteum incendio eripuit, depoſitum aureum flammis conſecrando, quæritur, an, cùm utrumque ſervare non potuerit, deponenti de damno obligetur? Reſpondeo: illum obligari de damno deponenti, quia eo caſu depoſitarius in vera culpa eſt, *juxta* N. 1239.

CASUS CCCXLVII.

L. 15. Rem tuam mihi deponit pro ſecuritate crediti mei, quæritur, an contractus teneat, & qualis ſit? Reſpondeo: contractum valere, quia etiam res alienæ, ſaltem, ut inter ipſos contrahentes obligatio oriatur, pignori dari poſſunt, *juxta* N. 1242.

CA-

CASUS CCCXLVIII.

M. 15. Equum tuum conſtituit mihi pro pignore, quæritur, an mihi quæſitum ſit jus in re? Reſpondeo: mihi jus in re quæſitum non eſſe, quia cùm hoc caſu pignus conſtituens dominium rei non habeat, non poteſt jus in re conſtituere, *juxta* N. 1246.

CASUS CCCXLIX.

N. 15. Conſtitutum mihi pignus repetit, quæritur, an, & quando tenear ad reſtitutionem? Reſpondeo: me teneri ad reſtitutionem, ſi debiti ſolutio præceſſerit, quia pignus, pro ſecuritate crediti conſtitutum, ante ſolutionem repeti nequit, *juxta* N. 1246.

CASUS CCCL.

O. 15. Pignus mihi dedit, quod interit meâ mediâ negligentiâ, quæritur, an de damno reſponſurus ſim? Reſpondeo: me obligari ad refectionem damni, ſi ſim creditor pignoratitius conventionalis, quia & creditor & debitor eſt author negotii, *juxta* N. 1250.

CASUS CCCLI.

P. 15. Creditor judiciali authoritate in conſtitutam ſibi hypothecam immiſſus, eandem mediâ negligentiâ deteriorat, quæritur, utrùm ad reficiendam deteriorationem ſit compellendus? Reſpondeo: P. compellendum non eſſe ad refectionem deteriorationis, quia non ex propria voluntate, ſed juris neceſſitate pignus contraxit, *juxta* N. 1251.

CASUS CCCLII.

Q. 15. Creditor, ſolutô debitô, ad admonitionem Debitoris de pignore reſtituendo credidit illud ignoto nuntio, omnes circumſtantias exprimenti, quæritur, an, ſi nuntius pignus non tradiderit, creditor teneatur? Reſpondeo: creditorem teneri, quia culpæ illius imputatur, quòd circa reſtitutionem pignoris diligentiùs non fuerit verſatus, *juxta* N. 1255.

CASUS CCCLIII.

R. 15. Te interrogante: R. *promittiſnè mihi 1000.*? reſpondit: *promitto 500.*, quæritur, an & quouſque valeat ſtipulatio? Reſpondeo: ſtipulationem non valere quoad 500., quia diverſitas in quantitate vitiat ſtipulationem, ſaltem quoad ſummam excedentem, *juxta* N. 1259.

CASUS CCCLIV.

S. 15. Me ſtipulante: S.! *ſpondèsne mihi 10.?* reſpondit: *ſpondeo poſt decennium*, quæritur, an, & quando ſtipulatio ſubſiſtat? Reſpondeo: ſtipulationem nunquam ſubſiſtere, quia diverſitas in qualitate vitiat ſtipulationem, *juxta* N. 1260.

CASUS CCCLV.

T. 15. Spopondit mihi foſſam fodere, & piſces, per jactum rectis capiendos, tradere, quæritur, nunquid & ad foſſam fodiendam, & ad piſces tradendos poſſit â judice compelli? Reſpondeo: T. compelli, poſſe â judice ad piſces tradendos, non autem ad foſſam fodiendam, quia qui promiſit factum civile, compelli poteſt ad illud factum in naturâ præſtandum, ſecùs, ſi factum corporale promiſerit, *juxta* N. 1203. & 1264.

CASUS CCCLVI.

V. 15. Promiſit mihi: *Titius 1000. tibi dabit, aut efficiam, vel ſaltem curabo, ut det*; quæritur, an, & ad quid conſurgat obligatio? Reſpondeo: in 1mo caſu non oriri obligationem, quia alienarum actionum non habetur dominium, in 2do oriri obligationem ad præſtandum promiſſum, & in 3^tio^ ad adhibendam diligentiam, *juxta* N. 1267.

CASUS CCCLVII.

W. 15. Tibi & mihi ſtipulantibus promiſit 1000., quæritur, an W. mihi exigenti 1000. teneatur ſolvere? Reſpondeo: W. teneri ſolvere 1000. mihi exigenti, quia in correali obligatione promittens ſingulis in ſolidum tenetur, *juxta* N. 1270.

CASUS CCCLVIII.

X. 15. Et Titius mihi promiſerunt 1000., & Titius 1000. ſolvit, quæritur, an contra Titium adhuc agere valeam? Reſpondeo: me non valere agere contra Titium, quia obligatio correalis hanc habet indolem, ut, ſi unus ſolidum ſolverit, contra alium ad ſolvendum agi nequeat, *juxta* N. 1271.

CASUS CCCLIX.

Y. 15. Summam, â ſe & correo Cajo promiſſam mihi ſolvit, quæritur, an Y. â Cajo dimidiam poſſit repetere? Reſpondeo: Y. â Cajo poſſe dimidiam repetere, quia ſaltem de æquitate, ſolutione per unum correum in ſolidum factâ, datur regreſſus contra alium, *juxta* N. 1273.

CA-

CASUS CCCLX.

Z. 15. Correus credendi Mevium in exigendo prævenit, quæritur, an Mevius dimidiam poſſit à Z. conſequi? Reſpondeo: Mevium poſſe dimidiam conſequi à Z., ſi obligatio deſcendat ex cauſa onerosa, ſecus ſi ex cauſa lucrativa, *juxta N. 1274.*

CASUS CCCLXI.

A. 16. Et Papinianus mihi promiſerunt 1000. quæritur, an, Papiniano abſente, aut non ſolvendo exiſtente, A. etiam de jure Novellarum teneatur mihi totam ſummam præſtare? Reſpondeo: A. mihi in hoc caſu teneri totam ſummam præſtare etiam de jure Novellarum, quia beneficium diviſionis ceſſat, ſi alter correorum abſens ſit, aut non ſolvendo, *juxta* N. 1276.

CASUS CCCLXII.

B. 16. Mihi ſtipulanti: B.! *promittisne mihi* 10.? Reſpondet: *promitto, ſi tranquillitas in imperio ſtabilita fuerit*, ego promiſſionem accepto in continenti, quæritur, an B. obligationem contraxerit? Reſpondeo: B. contraxiſſe obligationem, quia, licet diverſitas in qualitate vitiet ſtipulationem, *juxta* N. 1283. attamen ſi diverſitas reſponſionis ſtatim placuerit, alia ſaltem eſt contracta ſtipulatio, *juxta* N. 1284.

CASUS CCCLXIII.

C. 16. promiſit miſit 1000., ſi Inſtitutiones unâ lectione explicuero, quæritur, an ſtipulatio teneat? Reſpondeo: ſtipulationem non tenere, quia inutilis eſt ſtipulatio, quæ conditionem de facto impoſſibilem adjectam habet, *juxta* N. 1287.

CASUS CCCLXIV.

D. 16. Promiſſi ſunt 1000., ſi ægroto venenum dederit, quæritur, an promiſſio ſubſiſtat? Reſpondeo: promiſſionem non ſubſiſtere, quia conditio lege impoſſibilis omnem contractum vitiat, *juxta* N. 1287.

CASUS CCCLXV.

E. 16. Galeno promittit 1000., ſi ægroto medicinam noxiam non præſcripſerit, quæritur, an promiſſum debeatur? Reſpondeo: promiſſum non deberi, quia licèt conditio jure impoſſibilis concepta ſit negativè, tamen vitiat ſtipulationem, cùm quis gratìs à malo abſtinere debeat, *juxta* N. 1288.

CA-

CASUS CCCLXVI.

F. 16. Promiſit Mevio 1000., ſi Sempronio univerſam Juris-prudentiam intra 15.nam non tradiderit, quæritur, an 1000. ſint præſtandi? Reſpondeo: 1000. præſtandos eſſe, quia ſi conditio de facto impoſſibilis negativè concepta adjecta ſit, ſtipulatio habetur pro pura, *juxta* N. *1288.*

CASUS CCCLXVII.

G. 16. Mihi ſtipulatus eſt 1000. ab Euchario, quæritur, an mille mihi debeantur? Reſpondeo: 1000. mihi non deberi, quia finis ſtipulationum eſt, ut quiſque ſibi, non alteri acquirat, *juxta* N. *1289.*

CASUS CCCLXVIII.

H. *16.* Interceſſit pro filio F., obligato ex mutuo, contra SCtum Macedonianum levato, quæritur, an H. obligetur? Reſpondeo: H. obligari, quia licèt fide-juſſor accedat obligationi merè naturali, nihilominus tenetur, *juxta* N. *1296.*

CASUS CCCLXIX.

I. 16. pro liberto per annum proximum ad operas obligato fidejuſſit, annô elapsô, quæritur, an I. ex fidejuſſione teneatur? Reſpondeo: I. non teneri ex fidejuſſione, quia fidejuſſor, accedens obligationi merè civili, non tenetur, ſi obligatio in foro actionem producere nequeat, *juxta N.* 1297.

CASUS CCCLXX.

K. 16. Fidem interpoſuit pro Salerdo, homicida voluntario, quæritur, an fidejuſſio valeat? Reſpondeo: fidejuſſionem non valere, quia obligationi pœnali, ſi ſit corporis afflictiva, fidejuſſor validè non accedit, *juxta N.* 1298.

CASUS CCCLXXI.

L. 16. Pro Cajo obligato ad calicem ſacrum tradendum interceſſit, quæritur, an L. obligetur? Reſpondeo: L. non obligari, quia fidejuſſor non obligatur, quando acceſsit obligationi à lege reprobatæ, *juxta N.* 1299.

CA-

CASUS CCCLXXII.

M. 16. Centurio pro me fidejuſsit, quæritur, an me non exiſtente ſolvendo, M. ex fidejuſsione condemnari poſsit? Reſpondeo: M. ex fidejuſsione condemnari non poſſe, quia milites, ne à ſtudio militiæ avocentur, ex fidejuſsione non obligantur, *juxta N.* 1302.

CASUS CCCLXXIII.

N. 16. Clericus pro te interceſsit, quæritur, an teneat fidejuſsio? Reſpondeo: fidejuſsionem tenere quoad bona patrimonialia N., non autem quoad res Eccleſiæ, *juxta N.* 1303.

CASUS CCCLXXIV.

O. 16. Mulier pro me fidejuſsit, quæritur, an de jure Pandectarum & Codicis obligetur, aut quam habeat exceptionem? Reſpondeo: O. de jure Pandectarum efficaciter non obligari, ſed exceptione SCti Vellejani juvari, licèt de jure Codicis nullam contrahat obligationem, *juxta N.* 1304. & 1305.

CASUS CCCLXXV.

P. 16. Uxor pro marito interceſsit in inſtrumento publico, quæritur, nunquid uxor obligetur, aut an exceptionem habeat? Reſpondeo: uxorem non obligari, neque indigere exceptione SCti Vellejani, quia ejuſmodi obligatio habetur, ac ſi facta non fuiſſet, *juxta N.* 1306.

CASUS CCCLXXVI.

Q. 16. Mulier ſtante bonorum communione pro marito fidejuſsit, quæritur, an ſaltem hoc caſu validè obligetur? Reſpondeo, illam validè obligari hoc caſu, quia verſio in mulieris utilitatem facta præſumitur, *juxta* N. 1308.

CASUS CCCLXXVII.

R. 16. Mulier exceptioni SCti Vellejani renuntiavit, & fidejuſsit, quæritur, an hoc caſu teneatur? Reſpondeo: illam teneri, quia quilibet favori pro ſe introducto renuntiare poteſt, ſi de illo certioratus fuerit, *juxta N.* 1310.

CASUS CCCLXXVIII.

S. 16. Juratò ſpoſpondit ſe ſoluturum id, quod ego ex ſtipulatione debeo, quæritur, an S. aliquam, & quam ante me conventus habeat exceptionem? Reſpondeo: S. habere exceptionem excuſsionis ſeu ordinis, ratio eſt, quod

 jurans

jurans ſolvere non intelligatur per hoc renuntiâſſe beneficiis juris favorabilibus, ſibi competentibus, *juxta N.* 1313.

CASUS CCCLXXIX.

T. 16. Hic fidejuſsit pro me, exiſtente in Indiis, quæritur, an, & quæ T., à meo creditore convento, competat exceptio? Reſpondeo: T. non competere exceptionem, quia beneficium excuſsionis ceſſat, ſi ad debitorem principalem difficilis ſit acceſſus ob loci diſtantiam, *juxta N.* 1316.

CASUS CCCLXXX.

V. 16. pro me intercedendo obligavit ſe, *ut ego ſum obligatus*, quæritur, an me ſolvendo exiſtente, V. abſque ulla exceptione conveniri poſsit? Reſpondeo: V. conveniri poſſe ſine ulla exceptione, quia ſi fidejuſſor ſe obligavit, ut debitorem principalem, renuntiâſſe intelligitur beneficiis ſibi competentibus, *juxta* N. 1320.

CASUS CCCLXXXI.

W. 16. Et Atticus ſuam fidem tibi pro me interpoſuerunt, quæritur, an W. ſolvendo exiſtente Atticus in ſolidum conveniri poſsit, aut ſiquam habeat exceptionem? Reſpondeo: Atticum in ſolidum conveniri poſſe, ſed habere exceptionem diviſionis, ita, ut inter ſe & Confidejuſſorem obligatio dividatur, *juxta N.* 1322.

CASUS CCCLXXXII.

X. 16. Creditor inſtrumenta actionum, contra debitorem competentia, combuſsit, quæritur, an, & quæ fidejuſſori competat exceptio? Reſpondeo: fidejuſſori competere exceptionem cedendarum actionum, proindéque illum hoc caſu, quo inſtrumenta ſibi extradi non poſſunt, non teneri ad ſolutionem, *juxta N.* 1326. *&* 1330.

CASUS CCCLXXXIII.

Y. 16. Dedit mihi literas de 2. januar. 1731. in quibus fatetur ſe mihi debere 1000. quæritur, quæ Y. 2 januar. 1732. in judicio convento, detur exceptio? Reſpondeo: Y. non dari exceptionem non numeratæ pecuniæ, quia hodie, niſi intra paucos dies debitor ad judicem recurrerit, aut aliàs literas condici fecerit, creditori non incumbit numerationis probatio, *juxta N.* 1339.

CASUS CCCLXXXIV.

Z. 16. Emiſsô chyrographô de receptis 1000. mutuis 2. januar. 1731. convenitur à me 2. jan. 1732. quæritur, an hodie exceptio non numeratæ pe-

niæ

cuniæ locum habeat? Reſpondeo: hodie non habere locum exceptionem non numeratæ pecuniæ, ne quidem in mutuo, niſi intra parvum tempus exceptio fiat, *juxta N.* 1339.

CASUS CCCLXXXV.

A. 17. Mercator ex cambio conventus, opponit non numeratæ pecuniæ exceptionem, quæritur, an jure? Reſpondeo: A. non poſſe opponere hanc exceptionem, quia in foro mercatorum omnia debent eſſe paratiſsimæ executionis, *juxta* N. 1342.

CASUS CCCLXXXVI.

B. 17. Emit à te equum, quæritur, an pretiô nondum ſolutô, neque equô traditô reſilire poſsit? Reſpondeo: B. reſilire non poſſe, quia poſito conſenſu in pretium certum, & mercem determinatam, emptio venditio perfecta eſt, licèt nondum conſummata ſit, *juxta N.* 1348.

CASUS CCCLXXXVII.

C. 17. Vendidit tibi fundum Tuſculanum 1000. imper. quæritur, an contractu nondum in ſcripturam redacto, tibi competat actio empti? Reſpondeo: tibi competere actionem empti, licèt contractu nondum in ſcripturam redacto, quia ſcriptura *regulariter* non eſt neceſſaria ad emptionis venditionis ſubſtantiam, *juxta N.* 1349.

CASUS CCCLXXXVIII.

D. 17. Emit à te bovem, nullâ datâ arrhâ, quæritur, cui bos ante traditionem pereat, an tibi, an D.? Reſpondeo: D. perire bovem, quia emptio perfecta eſt, licèt arrha non intervenerit, *juxta N.* 1351.

CASUS CCCLXXXIX.

E. 17. Vendidit mihi acervum frumentorum, continentem 100. modios, quæritur, ſi acervus caſu fortuito pereat, an E., an meum ſit periculum? Reſpondeo: meum eſſe periculum, quia emptio venditio rei, celebrata ad corpus, perfecta eſt, ſi quantitas ſolummodò demonſtrationis gratiâ adjiciatur, *juxta N.* 1355.

CASUS CCCXC.

F. 17. Emit à te tres amas vini ex tuo dolio, quæritur, an doliô pereunte, F., an tuum ſit damnum? Reſpondeo: tuum eſſe damnum, quia emptio venditio celebrata ad menſuram & quantitatem perfecta non eſt, antequam menſura ſit adhibita, *juxta N.* 1357.

CASUS CCCXCI.

G. 17. A Petro emit jactum retis 10., quæritur, an ſi nulli piſces capti fuerint, integrum pretium debeatur? Reſpondeo: deberi integrum pretium, licèt nulli piſces capti fuerint, quia ſufficit mercis determinatio in ſpe tantùm, ut perfecta exiſtat venditio, *juxta N.* 1360.

CASUS CCCXCII.

H. 17. Pro fundo Tuſculano promiſit mihi 1000. dare, & equum, quæritur, qualis ſit contractus, an emptio venditio, an permutatio? Reſpondeo: eſſe emptionem venditionem, ſi partes convenerint, ut merx tradatur, & pretium numeretur, *juxta N.* 1364. & 1365.

CASUS CCCXCIII.

I. 17. Pro domo valente 2000., mihi 1000. & fundum valentem 1000. dare promiſit, quæritur, an contractu conſummato proximior conſanguineus meus habeat actionem ad retractum? Reſpondeo: proximiorem conſanguineum non habere actionem ad retractum, quia in hoc caſu, cùm pretium in partem rei conſtitutum ſit, celebratus eſt contractus innominatus, *juxta N.* 1366. & 1367.

CASUS CCCXCIV.

K. 17. A me hujus anni vina emit tanti, quanti vicinus meus ſua vendidit, quæritur, an emptio venditio ſit, & an perfecta? Reſpondeo: emptionem venditionem eſſe, & quidem perfectam, quia licèt pretium actu determinatum non ſit, proximè tamen per tertium determinabile eſt *juxta N.* 1376.

CASUS CCCXCV.

L. 17. Vendidit mihi tuum fundum bonâ fide, & tradidit, quæritur, an emptio venditio jure ſit conſummata? Reſpondeo: emptionem venditionem jure conſummatam eſſe, quia ſufficit ad illius conſummationem, ut merx emptori tradatur, non autem requiritur, ut dominium ejus transferatur, *juxta N.* 1371.

CASUS CCCXCVI.

M. 17. Emit à te equum 100., & pretium bonâ fide ex mea pecunia ſolvit, quæritur, an contractus ſit ritè adimpletus, & an equi traditi dominium tranſeat? Reſpondeo: contractum ritè adimpletum non eſſe, neque dominium equi tranſire, quia non ſufficit pretium tradere, ſed requiritur, ut venditor illius dominium acquirat, cùm pretii non dati nullus ſit uſus, *juxta N.* 1372.

CASUS CCCXCVII.

N. 17. Vendidit mihi 10. Jugera fundi Tuſculani, quodlibet 1000., quæritur, ſi adhibitâ menſurâ tantùm reperiantur 5., quantum pretii debeatur? Reſpondeo: pretium deberi tantùm pro 5. jugeribus, quia, ſi emptio & Venditio ad determinatam menſuram celebrata ſit, quod deeſt, venditoris damno cedit, *juxta N.* 1373.

CASUS CCCXCVIII.

O. 17. Pro re, valente 10., accepit 4., quæritur, quodnam venditori contra talem contractum detur remedium? Reſpondeo: venditori dari remedium de reſcindendâ venditione, cùm non receperit dimidium mercis, ſitque læſus ultra dimidium, *juxta N.* 1378.

CASUS CCCXCIX.

P. 17. Rem valentem 10. vendidit 16., quæritur, an, & quodnam venditori competat remedium?.. Reſpondeo: ipſi non competere remedium de reſcind. vendit., utpote non læſo ultra dimidium, *juxta* N. 1378.

CASUS CCCC.

Q. 17. Mihi elocavit operas ſuas, & fundum in anno 1mo, & tibi operas æquè, ac fundum in anno 2do, quæritur, an uſu fundi tibi traditô, & operis præſtari coeptis ego contra Q. habeam actionem, & ad quid? Reſpondeo: me contra Q. inſtituere poſſe actionem, ut mihi primùm ſatisfaciat, tanquam anteriori, quantum pertinet ad præſtationem operarum, quoad uſum fundi autem tu potior es jure, *juxta* N. 1383.

CASUS CCCCI.

R. 17. Vendidit tibi fundum, & mihi alium fundum locavit, quæritur, ad quid R. tibi, & ad quid mihi teneatur? Reſpondeo: R. tibi teneri tradere vacuam rei poſſeſſionem, mihi autem ſolum uſum fundi, quia emptor ſecùs, ac conductor, intendit dominium acquirere, *juxta N.* 1384.

CASUS CCCCII.

S. 17. Fundum, proferentem annuos modios frumenti 100., utendum mihi conceſſit erga præſtationem annuam 40. modiorum, quæritur, an hoc negotium ſit locatio conductio? Reſpondeo: hoc negotium eſſe locationem conductionem, quia locatio fructuum quoque in certa fructuum quantitate conſiſtere poteſt, *juxta N.* 1387.

CASUS CCCCIII.

T. 17. Aurum tradidit aurifabro, ut exinde erga præſtationem pecuniarum annulos conficiat, quæritur, qualis ſit contractus? Reſpondeo: eſſe locationem conductionem operarum, ſecus, ſi conventum fuerit, ut ex aurifabri auro annuli conficiantur, eo enim caſu erit emptio venditio, *juxta* N. 1388.

CASUS CCCCIV.

V. 17. Me ſciente & patiente habuit uſum prædii mei per notabile anni tempus, quæritur, an mihi, & qualis merces pro uſu debeatur? Reſpondeo: mihi deberi mercedem proportionatam fundo, quia eadem regulariter eſt vis tacitæ locationis conductionis, quæ expreſſæ, *juxta* N. 1389.

CASUS CCCCV.

W. 17. Domum Lipſienſem, ad ſexennium elocatam, lapſō tempore pergit inhabitare, me non contradicente, quæritur, ad quantum temporis ſpatium relocatio extendatur? Reſpondeo: tacitam relocationem ad annum extendi, quia licèt in prædiis urbanis, cum quovis momento regulariter fructus percipiantur, tacita relocatio quovis tempore exſpiret, *juxta* N. *1329*, attamen in caſu ſingulis momentis fructus non percipiuntur, *juxta* N. 1393.

CASUS CCCCVI.

X. 17. Fundum Cornelianum annuos, & Titianum triennales fructus proferentem, poſt lapſum expreſſæ locationis cultivare pergit, dominō patiente, quæritur, quanto tempore tacita relocatio duret? Reſpondeo: tacitam relocationem durare in fundo Corneliano integro anno, in Titiano autem trienniô, ne conductor ex tali locatione damnum ſentiat, *juxta* N. 1394.

CASUS CCCCVII.

Y. 17. Mihi domum elocavit, cujus cella indiget neceſſariâ reparatione, quæritur, an poſſim expelli? Reſpondeo: me expelli non poſſe, quia ſi reparatio fieri poteſt inquilino inhabitante, conductor expelli non poteſt, *juxta* N. 1398.

CASUS CCCCVIII.

Z. 17. Elocavit mihi domum ad ſex annos, quæritur, an lapſô hoc ſexenniô, ſi tibi non ſit facta denuntiatio, tacita relocatio extendenda ſit ad aliud ſexennium? Reſpondeo: locationem ad ſexennium extenden-

dendam non eſſe, quia, quæ ad Tempus placuerunt, eo lapſo ligare deſinunt, *juxta* N. 1395.

CASUS CCCCIX.

A. 18. Elocavit mihi operas ad exſtruendum ædificium, quod ex defectu cæmenti minùs peritè confecti ruit, quæritur, cujus ſit damnum? Reſpondeo, A. damnum eſſe, quia locator operarum præſtat quoque negligentiam minimam, *juxta* N. 1405.

CASUS CCCCX.

B. 18. Conduxit domum meam, quæ ex cinere, in granarium illatô, conflagravit, quæritur, an B. teneatur? Reſpondeo: B. teneri, quia conductor rei præſtat negligentiam mediam, utpote, qui cum locatore eſt author negotii, *juxta* N. 1403.

CASUS CCCCXI.

C. 18. Conceſſit mihi uſum fundi proferentis 100. modios frumenti, erga præſtationem 5. 6. modiorum, quæritur, an locatio conductio ſit, an Emphyteuſis? Reſpondeo: eſſe Emphyteuſin, quia merces fructibus percipiendis proportionata non eſt, *juxta* N. 1413.

CASUS CCCCXII.

D. 18. Dedit tibi fundum colendum erga annuam unam amphoram olei, quæritur, an ſi hoc anno nihil olei perceptum ſit, amphora ſit præſtanda? Reſpondeo: amphoram tamen præſtandam eſſe, quia canon non remittitur, licèt magna oriatur ſterilitas, *juxta N.* 1415.

CASUS CCCCXIII.

E. 18. Emphyteuſin habens, canonem non ſolvit infra biennium, quæritur, an Emphyteuſis ſit caduca? Reſpondeo: Emphyteuſin caducam non eſſe, niſi Emphyteuſis ſit res Eccleſiaſtica, nam ad ſæcularem amittendam mora triennii requiritur, *juxta* N. 1416.

CASUS CCCCXIV.

F. 18. Fundum Emphyteuticum ſine præſcitu domini directi alienavit, quæritur, quomodo contra F. ſit procedendum? Reſpondeo: F. Emphyteuſi privandum eſſe, quia in hoc caſu negâſſe cenſetur directum dominium, *juxta* N. 1421.

CASUS CCCCXV.

G. 18. Et Papinianus ita convenerunt, *ut uterque Grammaticam doceret*, Salarium autem utrimque percipiendum eſſet commune, quæritur, quale

quale ſit negotium? Reſpondeo ſocietatem eſſe, quæ celebrari etiam poteſt, ut uterque operas lucri causâ conferat, *juxta N.1423.*

CASUS CCCCXVI.

H. 18. Et tu univerſa bona veſtra in communionem intuliſtis, H. advenit hæreditas 10000. Imperialium, quæritur, an tibi dimidiam communicare teneatur? Reſpondeo: tibi dimidiam deberi, quia ſocietas univerſalis omnium bonorum hoc habet ſpeciale, quod omnia honeſtè acquiſita, etiam hæreditas, ſit conferenda, *juxta N.1430.*

CASUS CCCCXVII.

I. 18. Et Limpenius illatis omnibus bonis in communionem, uxores ducunt, ex quibus I. reſpectivè 10., & Limpenio nulli ſupernaſcuntur liberi, quæritur, unde ſumptus educationis ſint deſumendi? Reſpondeo: ſumptus educationis deſumendos eſſe ex utriuſque bonis, quia in ſocietate univerſali etiam illa, quæ in liberorum ſuſtentationem impenduntur, alteri ſocio, non attentâ inde oriundâ inæqualitate, oneri ſunt, *juxta* N. *1431.*

CASUS CCCCXVIII.

K. 18. Mercator, patruus meus, intulit 500., communis negotiationis, à me capeſſendæ gratiâ, ut ego pariter inferam 500., habeam autem duas partes lucri, & unam damni, quæritur, qualis conventio ſit, & an teneat; Reſpondeo: ſocietatem eſſe, quia pacta, naturæ ſocietatis contraria, quidem ſervanda non ſunt, *juxta N. 1437.* at in caſu patruus lucrum ſibi debitum cenſetur donâſſe, *juxta* N. *1436.*

CASUS CCCCXIX.

L. 18. Intulit ad communem negotiationem 1000., & tu 1000., per ſiniſtrum caſum 1000. pereunt, quæritur, ad quem pertineat damnum? Reſpondeo: damnum commune eſſe, licèt de illo communicando partes nihil egerint, cùm iniquum foret, ut quis de lucro quidquam participet, & de damno nihil ferat, *juxta* N. *1435.* ſuppoſitô, quòd ſortes ſint commixtæ, *juxta* N. *1439.*

CASUS CCCCXX.

M. 18. Intulit 1000. in negotiationem maritimam, & ego pariter 1000. in terreſtrem, communis lucri gratiâ, collocata, mille M. amittuntur, quæritur, cujus damnum ſit? Reſpondeo damnum eſſe M., quia, cùm hoc caſu uterque non ſit ſortis dominus, res perit M. tanquam ſuo domino, *juxta N. 1439.*

CA-

CASUS CCCCXXI.

N. 18. Pictor, & tu convenistis, ut N. operas pictorias, valentes 1000., & tu mille communis lucri gratiâ conferas, quæritur, ſi picturæ pluris vendi nequeant, quàm 1000., quomodo diviſio ſit inſtituenda? Reſpondeo: diviſionem inſtituendam eſſe, ita, ut & damnum pecuniæ, & damnum operarum ſit commune, intellige, ut quilibet conſequatur 500., quia operæ in hoc caſu dominio pecuniæ æquivalent, *juxta* N. 1442.

CASUS CCCCXXII.

O. 18. Operas mercatorias contulit, annuatim valentes 60, tu 1000. in paratis, quæritur, an, ſi ſubductis rationibus non reperiantur, niſi 1000., O. addividenda ſit dimidia 1000. reſiduorum? Reſpondeo: O. addividendam non eſſe dimidiam 1000., quia, ſi operæ uſui tantùm pecuniæ correſpondeant, nec damnum pecuniæ, nec operarum eſt commune, *juxta N.* 1443.

CASUS CCCCXXIII.

P. 18. Rerum communium cuſtos januam ad plateam publicam de nocte non clauſit, & res communes fuerunt furtô ablatæ, quæritur, an, & ad quid P. teneatur? Reſpondeo: P. teneri ad reſtitutionem damni, non autem ad præſtandum intereſſe, quia magna negligentia minùs imputatur ſocio, quàm extraneo, *juxta N.* 1445.

CASUS CCCCXXIV.

Q. 18. Conſuluit mihi, ut Titio pecunias ſub uſuris crederem, quæritur, an, ſi Titius forô cedat, Q mihi teneatur? Reſpondeo: Q. mihi non teneri, quia ex nudo conſilio actio mandati non conſurgit, *juxta N.* 1460.

CASUS CCCCXXV.

R. 18. Mercator conſuluit mihi, ut merces Fabio crederem, credidi, & Fabius bona decoxit, quæritur, an, & ad quid R. mihi teneatur? Reſpondeo: R. mihi teneri ad damnum reficiendum, quia conſilia mercatorum communiter fiunt, ut fides alii mercatori habeatur, *juxta N.* 1464.

CASUS CCCCXXVI.

S. 18. Mandavit Cajo, ut hominem occideret, quæritur, an ſecutô homicidiô S. & Cajus ultimi ſupplicii ſint rei? Reſpondeo: utrumque reum eſſe ultimi ſupplicii, quia negotia honeſta tantùm ſunt objectum mandati, non autem turpia, *juxta N.* 1465.

CASUS CCCCXXVII.

T. 18. Suſcepit negotiationem frumentariam, pro me exercendam erga 20., quæritur, quale ſit negotium? Reſpondeo: eſſe locationem conductionem, quia mandatum eſt contractus gratuitus, originem trahens ex amicitia, *juxta N.* 1467.

CASUS CCCCXXVIII.

V. 18. Mandavit mihi, ut equum A. emerem 50., ego emi 100., quæritur, quid juris? Reſpondeo: me teneri mandanti ad intereſſe, quia eo caſu legem conventionis non adimplevi, excedendo fines mandati, *juxta N.* 1473.

CASUS CCCCXXIX.

W. 18. Mandavit tibi, ut domum A. emeres 100., tu emiſti 50., quæritur, quid juris? Reſpondeo: contractum mandati validè celebratum eſſe, quia etiam per utilius fines mandati adimpleri poſſunt, *juxta N.* 1474.

CASUS CCCCXXX.

X. 18. Miniſter Principis in cauſa injuſta bellum ſuaſit, aut litem, quæritur, an X. teneatur? Reſpondeo: X. teneri Principi, quia Miniſtri quaſi peritiam in arte profitentur, *juxta N* 1482.

CASUS CCCCXXXI.

Y. 18. Suſceptâ re frumentariâ alienâ, frumenta vendidit pretio minori, ac diligentiſsimi patresf., quæritur, an Y. mandanti teneatur? Reſpondeo: Y. mandanti teneri, mandatarius enim præſtat culpam leviſsimam, quam jus civile in negotiis ultrò ſuſceptis non remiſit, *juxta N.* 1480.

CASUS CCCCXXXII.

Z. 18. Adminiſtravit mea negotia, cùm neque abeſſem, neque ignorarem, quæritur, ex quo negotio Z. mihi obligetur? Reſpondeo: Z. mihi obligari ex mandato, non autem ex negotiorum geſtione, utpote quæ initur domino abſente, aut ignorante, *juxta N.* 1486.

CASUS CCCCXXXIII.

A. 19. Negotia ſcientis & abſentis geſsit, quæritur, qua obligatione A. teneatur? Reſpondeo: A. obligari ex negotiorum geſtione, modò abſens contradicere non poſsit, quia eo caſu adſunt requiſita hujus quaſi contractûs, factum nempe, & præſumptus conſenſus, *juxta N.* 1490.

CA-

CASUS CCCCXXXIV.

B. 19. Meam rem architectonicam geſsit, ædificia autem caſu periêrunt; quæritur, an, & qualis B. contra me detur actio? Reſpondeo: B. dari actionem contra me ex negotiorum geſtione ad refectionem expenſarum, utile enim negotium geſtum dicitur, licèt non correſpondeat utilis eventus, *juxtà N.* 1493.

CASUS CCCCXXXV.

C. 19. Geſtor meæ rei frumentariæ, cùm frumenta ſingulis quindenis tantùm faceret verti, deteriorata ſunt, quæritur, an C. mihi teneatur? Reſpondeo: C. mihi teneri, quia negotiorum geſtor præſtat negligentiam mediam, imò minimam, *juxtà N.* 1496.

CASUS CCCCXXXVI.

D. 19. Pupillus ſolvit mihi id, quod ex contractu, ſine tutoris authoritate celebrato, debet, quæritur, an ſolutum poſsit repetere? Reſpondeo: ſolutum repeti poſſe, quia pupillus ne quidem de jure naturæ obligationem contrahit, *juxta N.* 1502.

CASUS CCCCXXXVII.

E. 19. Mulier præſtitit creditori id, quod ex fidejuſsione, pro marito interpoſitâ, debet, quæritur, an locus ſit repetitioni? Reſpondeo: repetitioni locum eſſe, quia obligatio mulieris, contra SCtum Vellejanum fidejubentis, in totum reprobata eſt, *juxtà N.* 1502.

CASUS CCCCXXXVIII.

F. 19. Legatis ultra dodrantem gravatus, integra legata ſolvit, ignorans ſibi jus falcidiæ competere, quæritur, an legata poſsint revocari? Reſpondeo: legata repeti non poſſe, quia ſolutum per errorem juris non reſtituitur, ſaltem ubi ſolvens de lucro captando agit, *juxta* N. 1505.

CASUS CCCCXXXIX.

G. 19. Debens mihi 1000., offert ſolvere 500., quæritur, an ſolutionem tenear acceptare? Reſpondeo: me non teneri ſolutionem acceptare, quia ad obligationem tollendam integrum debitum ſolvendum eſt, *juxta N.* 1510.

CASUS CCCCXL.

H. 19. Debet mihi 1000. ex empto, quæritur, an, & quomodo hæc obligatio in mutuum converti poſsit? Respondeo: hanc obligationem in mu-

tuum convertendam eſſe per novationem mediante ſtipulatione faciendam, non attendendo tamen ad verborum ſolemnitatem, *juxta N.* 1518. & 1519.

CASUS CCCCXLI.

I. 19. Debet mihi, & ego Titio 1000., quæritur, an, & quomodo me liberare, & I. Titio obligare valeam? Reſpondeo: me liberari poſſe ab obligatione per delegationem, mandando I., ut, quod mihi debet, Titio ſolvat, *juxta* N. 1521. & 1522.

CASUS CCCCXLII.

K. 19. Incautè ſclopetum exploſit, & hominem occidit, quæritur, an delictum commiſerit? Reſpondeo: illum commiſiſſe delictum, quia delictum eſt libera & exteriùs ſenſibilis tranſgreſsio legis, *juxta* N. 1523. & cùm cædes illa explodenti ſit indirectè voluntaria, juridicè intelligitur deliquiſſe, *juxta* N. 1524.

CASUS CCCCXLIII.

L. 19. Fomitem admovit armario fortalitii, & deprehenditur ante effectum, quæritur, an ordinariâ pœnâ affici poſsit? Reſpondeo: illum ordinariâ pœnâ affici poſſe, quia in delictis atrociſsimis conatus, in actum externum deductus, atque ad delinquendum directus, eſt ſenſibilis legis transgreſsio, *juxta* N. 1526.

CASUS CCCCXLIV.

M. 19. Jure piſcandi, Principi debitô, utitur, Principe ignorante, & rationabiliter invitô, quæritur, an M. furtum committat? reſpondeo: M. furtum committere, quia hoc caſu furti eſſentia concurrit, *juxta* N. 1532.

CASUS CCCCXLV.

N. 19. Furatus 1000., in flagranti deprehenditur, quæritur, quales pœnæ de jure Romano & Germanico locum habeant? reſpondeo: de jure Romano locum habere pœnam quadrupli, de hodierno autem capitalem pœnam inductam eſſe, *juxta* N. 1537. & 1540.

CASUS CCCCXLVI.

O. 19. Famulus meus clavi adulterinâ aperuit meum ſcrinium, & furatus eſt 5. ducatos, quæritur, quæ pœna O. ſit dictanda? Reſpondeo: O. pœnam laquei dictandam eſſe, quia furtum domeſticum, ob fidem datam, alio quocunque in ſuo genere gravius eſt, *juxta* N. 1548.

CA-

CASUS CCCCXLVII.

P. 19. Primâ vice 4. ducatos furatus, fuſtigatur cum perpetuâ relegatione, alterâ duos, & ſtigmatizatur, quæritur, an, ſi tertiâ vice unum abſtulerit, poſſit ultimô ſuppliciô affici? Reſpondeo: illum poſſe ultimô ſuppliciô affici, quia furtum parvum, tertiâ vice repetitum, ob furis incorrigibilitatem pœnâ laquei punitur, *juxta* N. 1545.

CASUS CCCCXLVIII.

Q. 19. In via regia mihi vi extorſit groſſum, quæritur, an, & qua pœnâ ſit afficiendus? Reſpondeo: Q. capitali pœnâ affici poſſe, quia in graſſatores publicos, ob læſionem ſecuritatis publicæ, etiam ob minimam rem ablatam capitalis pœna conſtituta eſt, *juxta* N. 1552.

CASUS CCCCXLIX.

R. 19. Prope furnum obdormivit, & ignis latiùs ſerpens, horreum vicinum incendit, quæritur, an R. teneatur, & quo actionis genere? Reſpondeo: R. teneri actione L. Aquiliæ, quia damnum, etiam minimâ negligentiâ omiſſionis datum, eſt delictum privatum, *juxta* N. 1556.

CASUS CCCCL.

S. 19. Tuum equum ita agitavit, ut rumperetur, quæritur, an, qualis, & ad quid tibi contra S. detur actio? Reſpondeo: tibi dari actionem contra S. ex primo capite L. Aquiliæ, ad præſtandam æſtimationem equi, non quidem, quanti valuit integrô annô retrò, ſed ſecundùm ſtatum præſentis temporis, intellige de jure hodierno, *juxta* N. 1561. *&* *1564*.

CASUS CCCCLI.

T. 19. Meam gallinam globô trajecit, quæritur, an, qualis, & ad ad quid mihi contra T. competat actio? Reſpondeo: mihi competere actionem ex tertio capite L. Aquiliæ ad præſtandam gallinæ æſtimationem, ſecundùm ſtatum præſentis temporis, *juxta* N. 1562, & 1564.

CASUS CCCCLII.

V. 19. Depoſuit apud me dolium pulveris nitrati, cineris in cellam immiſſi ſcintilla pulverem corripuit, quæritur, an, & quâ actione V. tenear? Reſpondeo: me teneri V. actione L. Aquiliæ, quia damnum, cujus refuſio ex contractu peti nequit, vi L. Aquiliæ adhuc eſt refundendum, *juxta* N. 1565.

CASUS CCCCLIII.

W. 19. Equô meô occiſô, moritur, filium hæredem relinquendo, quæritur, an, & quâ actione hæres W. poſſit pulſari? Reſpondeo: hæredem W. actione L. Aquiliæ pulſari non poſſe, quia obligatio de damno reparando adhuc hodie deſcendit ex delicto privato, *juxta N.* 1570.

CASUS CCCCLIV.

X. 19. Titium gladio mutilavit, quæritur, an, & ad quid Titio teneatur? Reſpondeo: X. Titio teneri non tantùm ad expenſas medicorum, & mercedem operarum, ſed etiam in certam ſummam pro compenſatione doloris, *juxta N.* 1574.

CASUS CCCCLV.

Y. 19. Diſcipulum plebejum, thema minùs rectè perſolventem, appellavit ſtipitem, quæritur, an injuria ſit? Reſpondeo: injuriam non eſſe, quia in his circumſtantiis præſumptio animi contemnendi per alias fortiores excluditur, *juxta* N. 1575.

CASUS CCCCLVI.

Z. 19. Parochus è pulpito publico parochianos, ùt potatores, increpuit, quæritur, an actione injuriarum teneatur,? Reſpondeo: illum non teneri actione injuriarum, quia in hoc caſu verba non contemptûs, ſed correctionis finem habent, *juxta N.* 1575.

CASUS CCCCLVII.

A. 20. Cajum judici Eccleſiaſtico detulit de commiſſa Simonia, quæritur, an, cùm crimen probet, ab injuriâ excuſetur? Reſpondeo: illum excuſari ab injuriâ, quia, licèt veritas de ſe non impediat, quò minùs quis alium contemnat, *juxta N.* 1577. attamen ſecus eſt, ſi veritas dicta ſit judici, *juxta N.* 1575.

CASUS CCCCLVIII.

B. 20. Miniſtrum Principis vocitat politicum, quæritur, an miniſter actione injuriarum experiri valeat? Reſpondeo: miniſtrum agere poſſe actione injuriarum, quia in hoc caſu contemptus eſt, ſaltem ſi circumſtantiæ contemptûs concurrant. *juxta* N. 1579.

CASUS CCCCLIX.

C. 20. Famulo ſuo objicit mendacium, quæritur, an injuria ſit? Reſpondeo: injuriam non eſſe, quia verba: *tu mentiris*, tantùm contemptum irrogant apud viros graves, *juxta* N. 1585.

CA-

CASUS CCCCLX.

D. 20. A Sejo appellatus deceptor, ſubriſit, quæritur, an actionem injuriarum poſſit intentare? Reſpondeo: D. non poſſe inſtituere actionem injuriarum, quia diſſimulatione injuria ceſſat, *juxta* N. 1588.

CASUS CCCCLXI.

E. 20. Baro Sulpitium Baronem tuiſſavit, quæritur, an Sulpitio concedenda ſit actio injuriarum? Reſpondeo: Sulpitio concedendam eſſe actionem injuriarum, quia hoc alloquendi modo perſona honorabilis videtur contemni, *juxta* N. *1586.*

CASUS CCCCLXII.

F. 20. A Mevio mendacii incuſatus, huic alapam infligit, quæritur, quid juris? Reſpondeo: Mevio dari contra F. actionem injuriarum, quia injuria verbalis non rectè retorquetur reali, *juxta* N. *1595.*

CASUS CCCCLXIII.

G. 20. Judex pronuntiavit teſtamentum patris, in quo filius eſt præteritus, jure ſubſiſtere, quæritur, an, & ad quid G. filio teneatur? Reſpondeo: G. filio teneri in tantum, in quantum alteri judici æquum videbitur, quia in talibus circumſtantiis judex non ex vero, uti ſupponitur, ſed tantùm quaſi delicto tenetur, *juxta* N. *1599.*

CASUS CCCCLXIV.

H. 20. Ex cœnaculo, quod & Jaſon incolit, aquam effundendo in plateam publicam, tranſeuntes damnificavit, quæritur, an, & in quid Jaſon poſſit conveniri? Reſpondeo: H. & Jaſonem, utrumque in ſolidum conveniri poſſe, quia ſinguli totum delictum commiſiſſe intelliguntur, *juxta* N. 1603.

CASUS CCCCLXV.

I. 20. Tignum in plateam publicam periculosè ſuſpendit, quo tranſeuntibus noceri poſſit, quæritur, an, & ad quid I. teneatur? Reſpondeo: I. teneri ad ſubeundam pœnam arbitrariam, Fiſco applicandam, quia ob ſecuritatem viarum publicarum ponenti vel ſuſpendenti quaſi culpa imputatur, licèt nondum nocitum ſit, *juxta* N. 1607.

CASUS CCCCLXVI.

K. 20., Rem cauponariam exercentis, famulus annulum, in cauponam illatum, mihi ſubduxit, quæritur, an K. teneatur? Reſpondeo: K. teneri

neri, quia damnum datum ab iis, quorum operâ caupo utitur, illi imputatur, ùt quaſi delictum, *juxta N.* 1611.

CASUS CCCCLXVII.

L. 20. In navim ingreſſus, rebus ſuis privatur per Mercurium conviatorem, quæritur, an nauta ad damni refectionem ſit compellendus? Reſpondeo: Nautam ad damni refectionem compellendum non eſſe, quia culpa viatorum, ùt quaſi delictum, non redundat in exercitorem, *juxta N.* 1612.

CASUS CCCCLXVIII.

M. 20. Civis Ratisbonenſis mihi equum vendidit, quem tibi Monachii domiciliato tradidit, quæritur, an contra M., aut te Monachii, aut contra te Ratisbonæ agere poſſim? Reſpondeo: me contra te Monachii exiſtentem agere non poſſe, quia tecum non contraxi, ergò contra M. Ratisbonæ agendum eſt actione empti, *juxta N*. 1627.

CASUS CCCCLXIX.

N. 20. Detentor fundi in qualitate conductoris, à me habente titulum donationis à Mevio domino, ſubſecutâ traditione, convenitur in judicio, quæritur, an jure, & quâ actione? Reſpondeo: N. à me jure coveniri rei vindicatione, tanquam rei meæ nudum detentorem, ad hoc, ut ego dominus fundi declarer, & officiô judicis mihi fiat reſtitutio cum fructibus, & omni causâ, *juxta N.* 1631., modò neget tiulum conductionis, *juxta N.* 1634.

CASUS CCCCLXX.

O. 20. Neque poſſeſſor, neque detentor fundi Tuſculani, prohibuit me, ne ex hoc fundo in meum Cornelianum aquam ducam, quæritur, an, & quæ actio mihi contra O. detur? Reſpondeo: mihi dari actionem confeſſoriam contra O., ad hoc, ut judex declaret, mihi jus ſervitutis competere, & O. condemnet, ut ab impedimento deſiſtat, *juxta N.* 1640.

CASUS CCCCLXXI.

P. 20. Poſſeſſor fundi Semproniani, me exercentem iter in hoc fundo, in judicio pulſare intendit, quæritur, an rectè, & quo actionis genere? Reſpondeo: P. me rectè pulſare coram judice, & quidem actione negatoriâ, ad hoc, ut judex declaret, prædium eſſe liberum, & me condemnet, ut ceſſem à ſervitutis uſu, *juxta N.* 1653.

CA-

CASUS CCCCLXXII.

Q. 20. Poſſeſſionem fundi Tuſculani titulo emptionis à Mevio bonâ fide conſecutus, contra Cajum, ejuſdem fundi poſſeſſorem, & ſcientem alienum, in judicio experitur, quæritur, quâ actione ſit experiundum? Reſpondeo: experiundum eſſe contra Cajum actione publicianâ, tanquam infirmiori jure poſſidentem, ad effectum, ut Q. bonæ fidei poſſeſſor, ſeu quaſi dominus declaretur, & res unà cum fructibus, & omni causâ reſtituatur, *juxta* N. *1663.*

CASUS CCCCLXXIII.

R. 20. Legatus Cæſareus ad Portam Ottomannicam, domum redux, invenit domum ſuam à Titio bonâ fide, juſtô titulô emptionis, per tempus 20. annorum poſſeſſam, quæritur, quæ R. contra Titium elargienda ſit actio? Reſpondeo: R. Miniſtro contra Titium elargiendam eſſe actionem reſciſſoriam, utpote abſenti ex cauſa juſta, ut R., acſi domus uſucapta non eſſet, dominus declaretur, & domus ipſi reſtituatur, *juxta* N. *1674.*

CASUS CCCCLXXIV.

S. 20. Obæratus debitor credens, ſe ſolvendo eſſe, donavit mihi 5000. inter vivos, quæritur, an, & quam creditores contra me habeant actionem? Reſpondeo: creditores habere actionem Paulianam, quia ſi res aliena habeatur titulo lucrativo, ſola eventûs fraus ſufficit in tertio alienatario, *juxta N. 1698. & 1701.*

CASUS CCCCLXXV.

T. 20. Conductor prædii Tuſculani, variis in illud illatis ſupellectilibus, ceſſat in locagii ſolutione, quæritur, an, & quæ locatori contra T. detur actio? Reſpondeo: locatori dari contra T. actionem Servianam, ad hoc, ut jus pignoris locatori adjudicetur, & res illatæ illi pro ſecuritate penſionis extradantur, *juxta* N. *1704.*

CASUS CCCCLXXVI.

V. 20. Suo filiof. conceſſit 1000. ad comparandum ſibi vexillum, filiusf. debita contraxit ad 1000., quæritur, an, quâ actione, & quouſque V. teneatur? Reſpondeo: V. non teneri actione de peculio, ad hoc, ut ſolvat, quantum eſt in peculio, quia actio de peculio locum non habet in caſtrenſi, *juxta* N. *1736.*

CASUS CCCCLXXVII.

W. 20. Mihi juramentum detulit, an eidem 1000. debeam, quod præſtiti, quæritur, an, & quæ mihi contra W. competat actio? Reſpondeo: mihi competere contra W. actionem *in factum ex jurejurando*, ad hoc, ut debitum ſolvatur, juramentum tamen oportet legitimè præſtitum eſſe, *juxta N. 1746. & 1749.*

CASUS CCCCLXXVIII.

X. 20. Violavit ſtatuam Principis, quæritur, cui, & in quid detur contra X. actio? Reſpondeo: actionem dari cuilibet ex populo contra X. de albo corrupto, ut X. ſubeat pœnam arbitrariam, Fiſco applicandam, *juxta* N. 1757. 1760. & 1761.

CASUS CCCCLXXIX.

Y. 20. Judicem adivit, & petiit citationem contra ſuum patrem Micaneum ad præſtanda alimenta, quæritur, an Micaneo actio in factum de in jus vocando ſit concedenda? Reſpondeo: Micaneo patri hanc actionem concedendam non eſſe, quia filius irreverentiam non committit, patrem Judicis veniâ in judicium vocando, *juxta* N. 1765.

CASUS CCCCLXXX.

Z. 20. Glebam, cui eſt per Auguſtum adſcriptus, deſeruit, quæritur, quænam Auguſto, in poſſeſſione vel quaſi ſervitutis activæ conſtituto, contra Z. detur actio? Reſpondeo: Auguſto contra Z. dari actionem præjudicialem primam affirmativam, ad hoc, ut Auguſtus dominus, Z. autem glebæ adſcriptitius declaretur, *juxta* N. 1777. & 1776.

CASUS CCCCLXXXI.

A. 21. Glebæ adſcriptus, à Leopoldo manumiſſus eſt, hâc lege, ut ad ſervitia ſit obligatus, quæritur, quæ Leopoldo, in poſſeſſione vel quaſi exigendi ſervitia conſtituto, contra A. detur actio? Reſpondeo: Leopoldo hodie contra A. dari actionem præjudicialem ſecundam utilem, ad hoc, ut patronus declaretur, *juxta* N. 1777. & 1780.

CASUS CCCCLXXXII.

B. 21. Pater contra filiumf., in poſſeſſione vel quaſi libertatis â ſtatu familiæ exiſtentem, perſequitur acquæſtus, quæritur, quâ actione B. experiri debeat? Reſpondeo B. experiri debere contra filiumf. tertiâ actione præjudiciali affirmativâ, ad hoc, ut paterf. declaretur, *juxta* N. 1781.

CASUS CCCCLXXXIII.

C. 21. Bonæ fidei poſſeſſor equi, à Titio furtô ſubducti, in judicio convenit Titii hæredem, quæritur, an jure, & quâ actione? Reſpondeo: illum jure convenire Titii hæredem condictione furtivâ, ad hoc, ut aut equus, aut in ſubſidium ejus æſtimatio detur, *juxta* N. *1784.*

CASUS CCCCLXXXIV.

D. 21. Agit contra me ad hæreditatis prætensè communis diviſionem, ego nego D. cohæredem meum eſſe, quæritur, quæ actio D. ſit indulgenda? Reſpondeo: D. concedendam non eſſe actionem Familiæ herciſcundæ, ad hoc, ut hæreditas communis dividatur, & præſtationes perſonales illi adjudicentur, quia actor hæres eſſe negatur, *juxta* N. 1826.

CA-

CASUS CCCCXXXV.

E. 21. Me convenit pro legati communis diviſione obtinendâ, quæritur, quid E. probare debeat? Reſpondeo: E. probare debere legati communionem ex teſtamento, & rem talem communem communi nomine adminiſtratam eſſe, *juxta* N. 1831.

CASUS CCCCLXXXVI.

F. 21. Hungarus fines, inter tuum & meum agrum inter medios, dolo movit, inſtituo contra F. actionem finium regundorum, quæritur, an jure? Reſpondeo: me jure talem actionem non inſtituere, ad hoc, ut limites, agrorum reparentur, & fructus interim percepti mihi reſtituantur, ratio eſt, quia hæc actio datur tantùm contra vicinum, qui fines movit, *juxta* N. 1835.

CASUS CCCCLXXXVII.

G. 21. Mea abſentis & ſcientis negotia geſſit, quæritur, qualis mihi contra G. detur actio? Reſpondeo: mihi dari contra G. actionem negotiorum geſtorum directam, ad effectum, ut G. rationes adminiſtrationis reddat, & damnum minimâ negligentiâ datum reficiat, *juxta* N. 1855.

CASUS CCCCLXXXVIII.

H. 21. Pignori mihi dedit equum morbidum, qui meum infecit, quæritur, an, & qualis mihi contra H. detur actio? Reſpondeo: mihi contra H. dari actionem pignoratitiam contrariam, ad hoc, ut aliud pignus conſtituat, & damnum, meo equo illatum, reſarciat; *juxta N.* 1866.

CASUS CCCCLXXXIX.

I. 21. Proximior Titii defuncti agnatus, & conſanguineus, contra Mevium, emptorem fundi hæreditarii, inſtituit petitionem hæreditatis, quæritur, an actio ſit fundata? Reſpondeo: actionem fundatam non eſſe, quia petitio hæreditatis datur contra illum, qui nullum ſuæ poſſeſſionis titulum allegare poteſt, vel qui pro hærede poſſidet, *juxta* N. 1877.

CASUS CCCCXC.

K. 21. Donavit mihi dorantem bonorum ſuorum, inſtituo contra illum actionem donati, K. opponit exceptionem propriæ indigentiæ, quæritur, quis victoriam cauſæ ſit reportaturus, & in quid K. condemnari poſſit? Reſpondeo: me victoriam cauſæ reportaturum eſſe, & K. condemnandum ad rem donatam præſtandam vi actionis donati, niſi exceptio de verâ propriâ indigentiâ obſtet, *juxta dicta de except. &* N. 1888.

CASUS CCCCXCI.

L. 21. Civis Colonienſis promiſit mihi 1000. ſolvere Romæ, quæritur, an, quâ actione, & in quid L. Coloniæ convenvenire poſſim? Reſpondeo: me L. convenire poſſe primâ actione arbitrariâ *de eo, quod certô locô*, ad hoc, ut L. mihi ſolutionem unà cum intereſſe Coloniæ præſtet, *juxta* N. 1907.

CA-

CASUS CCCCXCII.

M. 21. Petiit à me ex mutuo 1000, judex M. adjudicavit 2000. ex ſtipulatu, quæritur, an ſententia teneat? Reſpondeo: ſententiam non tenere, quia judex obligatur ad ſententiam definitivam pronuntiandam, quæ libello conformis ſit, *juxta* N. 1929.

CASUS CCCCXCIII.

N. 12. Obæratus debitor bonis ceſſit, quæritur, an Creditores omnia N. bona occupare poſſint? Reſpondeo: creditores occupare non poſſe omnia N. bona, nam actio contra debitorem talem competens limitata eſt, proindéque debitor alimentis fraudandus non eſt, *juxta* N. 1949.

CASUS CCCCXCIV.

O. 21. Juſſit filium emere ligna ad domûs paternæ reparationem, quæritur, an O. à creditore lignorum actione *quod juſſu* ſit convenibilis? Reſpondeo: O convenibilem non eſſe actione, *quod juſſu*, ad hoc, ut juxta legem contractûs, à filio initi, creditori ſatisfaciat, quia juſſus patris non reſpicit peculium, *juxta* N. 1957.

CASUS CCCCXCV.

P. 21. Me præfecit navi, & ego te, tu contraxiſti cum Mevio, quæritur, an, & qualis Mevio contra P. detur actio? Reſpondeo: Mevio dari actionem exercitoriam contra P. exercitorem, ad hoc, ut juxta legem contractûs Mevio ſatisfaciat, *juxta* N. 1957.

CASUS CCCCXCVI.

Q. 21. Me præpoſuit tabernæ, & ego te, tu contraxiſti cum Sempronio, quæritur, an, & quâ actione Sempronius Q. poſſit convenire? Reſpondeo: Sempronium non poſſe convenire actione inſtitoria Q., quia ſub-præpoſitio inſtitoris non obligat dominum tabernæ, *juxta* N. 1961.

CASUS CCCCXCVII.

R. 21. Receptis mercibus peculiaribus, ex negotiatione filiif. conventus actione tributoriâ, merces peculiares, non conficientes quantitatem peculii, extradit, quæritur, an R. defungatur? Reſpondeo: R. defungi, quia finis actionis Tributoriæ eſt, ut pater merces peculiares æqualiter, & pro rata dividat, aut merces peculiares extradat, *juxta* N. 1963.

CASUS CCCCXCVIII.

S. 21. Filiusf. ligna, empta 1000, vertit in rem patris uſque ad 500., quæritur, an creditor actionem habeat contra patrem ad 1000, aut, an tantùm ad 500? Reſpondeo: creditorem habere actionem *de in rem verſo* contra patrem ad 500., quia finis hujus actionis eſt, ut reus præſtet tantum, in quantum verſio facta eſt, *juxta* N. 1967.

CASUS CCCCXCIX.

T. 21. Filiusf. à Macedone vinum ſumpſit mutuum, ut venderet, quæritur, an Macedo contra patrem T. habeat actionem, aut an poſſit exceptione,

ceptione SCti Macedoniani, quia jura ob periculum, ne vitæ parentum inſidiæ ſtruerentur, peſſimos tales fœneratores reprimere voluerunt, *juxta* N. 1977.

CASUS D.

V. 21. Contra me agit quadrupedariâ actione, ad equum meum noxæ dandum, cùm fruges ſuas depaverit, quæritur, an actio ſit fundata? Reſpondeo: actionem fundatam non eſſe, quia actio quadrupedaria tantùm convenit illis, qui damnificati ſunt â beſtia contra naturam ſui generis, *juxta* N. 1985.

CASUS DI.

W. 21. Procurator negligens fuit in proſequenda appellatione â ſententia contra principalem latâ, quæritur, utrùm hæc negligentia principali noceat, & quo remedio eidem ſit conſultum? Reſpondeo: hanc negligentiam principali obeſſe, ubi procurator ſolvendo eſt, ſecùs datur principali remedium reſtitutionis in integrum, *juxta N.* 2004. *&* 2005.

CASUS DII.

X. 21. Genialiùs vivens, & jam jam abiturus ex nundinis, â me in judicio convenitur, quæritur, an, & ad quam cautionem præſtandam teneatur? Reſpondeo: illum teneri cavere, quòd manere velit uſque ad litis definitionem, & comparere in judicio, *juxta N.* 2012.

CASUS DIII.

Y. 21. Colonienſis Ratisbonæ agens in judicio, condemnatur ad cautionem de expenſis, & reconventione præſtandam, quæritur, ad quam, & in quibus circumſtantiis ſit admittendus? Reſpondeo: Y. admittendum eſſe ad cautionem per nudam promiſſionem, ſi bona immobilia ſufficientia, & in territorio, ubi litigatur, ſita poſſideat, *juxta* N. 2015.

CASUS DIV.

Z. 21. Alienatione in fraudem creditorum 2. Jan. 1726. per obæratum debitorem in Mevium celebratâ, 2. Jan. 1732. contra Mevium intentat Paulianam, quæritur, an Z. ſit audiendus? Reſpondeo: Z. audiendum non eſſe, quia actio prætoria, actûs civilis validi reſciſſoria, regulariter eſt annalis, *juxta N.* 2030.

CASUS DV.

A. 22. Rem 1720. 1. Febr. bonâ fide, & titulô ad dominium transferendum habili conſecutus, caſu poſſeſſione, ad Cajum perventâ, cecidit,

Anno 1732. 3. Febr. intentat Publicianam contra Cajum quæritur, an actio locum habeat? Reſpondeo: actionem fundatam eſſe, quia actio prætoria, quæ defectum Juris civilis ſupplet, annô non circumſcribitur, *juxta* N. 2031.

CASUS DVI.

B. 22. meam quadrupedem damnificavit 1ma Martii 1730., & cùm damnum inficiaretur, ego eundem 2da Martii 1731. conveni actione L. Aquil. in duplum, quæritur, an jure? Reſpondeo: me jure illum non convenire, quia hæc actio, in quantum pœnalis eſt, regulariter annô exſpirat, *juxta N.* 2032.

CASUS DVII.

C. 22. Actione de peculio à me convenitur 16ta Maji anno 1731. ex contractu cum filiof. 16ta Maji 1729. celebrato, quæritur, an actio ſit extincta? Reſpondeo: actionem extinctam non eſſe, quia actio prætoria, deſcendens ex æquitate, regulariter perpetua eſt, *juxta* N. 2035.

CASUS DVIII.

D. 22. Contra Mevium ex furto manifeſto, 1700. 1. Jan. commiſſo, intentat actionem 2. Jan. 1732., quæritur, an actio adhuc perduret? Reſpondeo: actionem adhuc durare, quia hæc actio in odium furti perpetua eſt, *juxta N.* 2034.

CASUS DIX.

E. 22. Fundum bonâ fide, & juſtô titulô 3. Jan. 1700. conſecutus, à domino 4. Jan. 1710. convenitur actione rei vindicatoriâ, quæritur, quam exceptionem habeat? Reſpondeo: E. habere exceptionem præſcriptionis, ad hoc, ut ille dominus declaretur, & res eidem cum omni cauſa relinquatur, *juxta* N. *2048.*

CASUS DX.

F. 22. Mihi elocavit fundum Tuſculanum ad ſexennium, primô annô ego & F. morimur, quæritur, an meus hæres poſſit hæredem F. convenire ad ſtandum annis locationis conductionis? Reſpondeo: hæredem meum hæredem F. convenire poſſe ad ſtandum annis locationis conductionis, quia actio ex contractu deſcendens etiam paſſivè in hæredes tranſmittitur, *juxta* N. *2039.*

CASUS DXI.

G. 22. Me injuriavit, morior, quæritur, an hæres meus contra G. habeat actionem? Reſpondeo: hæredem meum non habere actionem contra G, quia injuria cenſetur exſpirâſſe cum defuncto, *juxta* N. 2041.

CASUS

CASUS DXII.

H. 22. Me convenit ad præſtandam in fundo meo ſervitutem, ego excipio H. dominum non eſſe prædii dominantis, quæritur, an jure excipiam? Reſpondeo: me jure excipere, quia ſine jure in re, ſeu prædio dominante, ſervitus eſſe nequit, *juxta N.* 2050.

CASUS DXIII.

I. 22. Mevium in judicio pulſat ad deoccupandum fundum Tuſculanum, bonâ fide, & juſtô titulô obtentum, Mevius dicit, ſe eundem fundum bonâ fide & juſtô titulô conſecutum eſſe, quæritur, quis in cauſa triumphare debeat? Reſpondeo: Mevium debere triumphare in cauſa, quia in pari cauſa melior eſt conditio poſsidentis, *juxta N.* 2053.

CASUS DXIV.

K. 22. Fundô uſucaptô, à Mevio, proſcripto ad 20. annos, ad judicium trahitur, quæritur, qualis K. competat exceptio? Reſpondeo: K. competere exceptionem abſentiæ odiô dignæ, quia prætor abſentes, abſentiâ odium promerente, hac actione indignos judicavit, *juxta N.* 2054.

CASUS DXV.

L. 22. Fundô ab obærato debitore bonâ fide emptô, pulſatur actione, quæritur, quam habeat exceptionem? Reſpondeo: illum habere exceptionem Paulianæ, rem bonâ fide, & titulô onerosô à ſe detineri, *juxta* N. 2055.

CASUS DXVI.

M. 22. Conductor domûs Tuſculanæ, poſſeſsione illatorum & invectorum penès me exiſtente, convenitur actione Servianâ, vel quaſi, quæritur, qualis M. competat exceptio? Reſpondeo: M. competere exceptionem non habitæ hypothecæ, quâ actio tam diu declinatur, donec poſſeſſor ſit excuſſus.

CASUS DXVII.

N. 22. Abdicatô à ſe Bucephali dominiô contra Mevium furem intentat condictionem furtivam, quæritur, quæ N. opponi poſsit exceptio? Reſpondeo: N. opponi poſſe exceptionem ceſſantis dominii, quia ceſſante dominiô res nequit actori dari, *juxta N.* 2066.

CASUS DXVIII.

O. 22. Commodavit mihi equum ad bellum, ego irrumpendo in agmen hoſtium equum amiſi, quæritur, quæ O., contra me intentanti actionem commodati, opponi poſsit exceptio? Reſpondeo: O. opponi poſſe equum datum eſſe ad uſum periculoſum, *juxta N.* 2069.

CASUS DXIX.

P. 22. Intentatâ contra me actione depoſiti adamantis, â Titio, ad cauſam interveniente, probatô in continenti adamantis dominiô vult repelli? quæritur, an jure? Reſpondeo: P. jure non agere, nam illi opponi poteſt exceptio concurrentis juſtioris repetitionis, *juxta N.* 2071.

CASUS DXX.

Q. 22. A Titio actione ad dividendam hæreditatem conventus, excipit Titium cohæredem jam tum res hæreditarias poſsidere, quæritur, an Q. exceptio ſit fundata? Reſpondeo: Q. exceptionem fundatam eſſe, quia eo caſu inter partes non eſt diſceptatio, juxta N. 2104., aut ſi Titius aliquas tantùm res hæreditarias haberet, tenetur ad collationem, *juxta N.* 2087.

CASUS DXXI.

R. 22. Actione negotiorum geſtorum contrariâ pulſatus ad reficiendas expenſas, allegat negotia geſta eſſe ex pietate, quæritur, quid juris? Reſpondeo: actionem ceſſare, quia in his circumſtantiis deficit animus alium obligandi, ad hanc actionem neceſſarius, *juxta N.* 2096.

CASUS DXXII.

S. 22. Proximior defuncti conſanguineus me, rem hæreditariam titulô emptionis poſsidentem, convenit, quæritur, an, & qualis mihi competat exceptio? Reſpondeo: mihi competere exceptionem, rem poſsidentis titulô ſingulari, & non pro hærede, *juxta N.* 2154.

CASUS DXXIII.

T. 22. Hæres legatis gravatus, integris legatis præſtitis, legatarios in judicio pulſat, quæritur, an rectè, & quo actionis genere? Reſpondeo: T. non poſſe pulſare legatarios in judicio, quippe ipſi opponitur exceptio in interdicto: *quod legatorum*, ceſſantis falcidiæ, *juxta N* 2155.

CASUS DXXIV.

V. 22. Scriptus in teſtamento hæres, petit ſe in poſſeſsionem bonorum hæreditariorum immitti, proximiores autem excipiunt, ſigilla teſtamenti raſa eſſe, quæritur, quis obtinere debeat? Reſpondeo: proximiores obtinere, quia in caſu hæc exceptio in interdicto ex *l. fin. Cod. de edict. D. Hadr. toll.* V. opponi poteſt, *juxta N.* 2157.

CASUS DXXV.

W. 22. E poſſeſsione fundi dejectus, eandem in continenti recuperat, quæritur, quam W. interdictô: *unde vi*, conventus habeat exceptionem? Reſpondeo: W. habere exceptionem defenſæ poſſeſsionis, quia dejectus non cenſetur, qui alterius poſſeſsionem aggreſſus eſt, *juxta* N. 2159.

JURISPRUDENTIÆ ROMANO-GERMANICÆ PARS ALTERA

Actiones, & Exceptiones forenſes ſubminiſtrans.

CASUS DXXVI.

X. 22. Ratisbonenſis condidit teſtamentum Monachii, juxta Statutum loci, *quo requiruntur quatuor teſtes*, quæritur, an teſtamentum quoad bona Ratisbonæ ſita (ubi ſuppono ſeptem teſtes eſſe neceſſarios) teneat? Reſpondeo: teſtamentum quoad bona Ratisbonæ ſita tenere, quia Statutum mixtum non tantùm non circumſcribitur territorio ſtatuentis, ſed etiam illud egreditur, hinc teſtamentum unius loci, juxta illius ſolennitates conditum, etiam valet in alio loco, licèt ibi majores ſolennitates requirantur, *juxta theſin 7mam Chiliadis noſtræ Theoretico-Practicæ.*

CASUS DXXVII.

Y. 22. Juliacenſis teſtamentum erigit ſuper bonis ſtipalibus & ſtemmaticis, in Ducatu Juliæ ſitis, *ubi prohibita eſt ſuper his bonis teſtamenti factio*, quæritur, an teſtamentum, Coloniæ factum, validum ſit? Reſpondeo teſtamentum, Coloniæ factum, validum non eſſe, quia Statutum reale afficit bona immobilia, in territorio ſtatuentis ſita, *juxta theſin 8.*

CASUS DXXVIII.

Z. 22 Colonienſis, habens bona ſtemmatica Juliacenſia, facit teſtamentum ſuper his bonis Coloniæ, juxta ſolennitates Colonienſes, quæritur, an teſtamentum reſpectu bonorum Juliacenſium teneat? Reſpondeo: Teſtamentum reſpectu bonorum Juliacenſium non tenere, ex ratione mox datâ, quòd bona ſtemmatica Statuto reali territorii ſtatuentis afficiantur, *juxta theſin. 10.*

CASUS DXXIX.

A. 23. Juliacenſis facit Teſtamentum Juliaci ſuper bonis Scrinialibus, in Civitate Colonienſi ſitis, juxta ſolennitates Juliacenſes, quæritur, an teſtamentum quoad bona ſcrinialia ſubſiſtat? Reſpondeo: Teſtamentum quoad bona ſcrinialia valere, quia quidem ad teſtamentum, in Civitate Colonienſi de bonis Scrinialibus erigendum, requiritur, ut præter Notarium & duos teſtes, adhibeantur duo Scabini Judicii Electoralis, uti ex inſtitutionibus patet, attamen, ſi teſtamentum condatur extra Civitatem, citra animum Statutum defraudandi, juxta ſolennitates loci, in quo erectum eſt, valet, niſi obſtaret Statutum reale.

CASUS DXXX.

B. 23. Domiciliatus Confluentiæ, *ubi ex ſuppoſito viget Statutum: ne conjux conjugi donet*, donat in loco ſui domicilii bona Coloniæ ſita ſuæ conjugi, quæritur, an donatio valeat? Reſpondeo: donationem valere, quia Statutum reale tantùm afficit bona immobilia, in territorio ſtatuentis ſita, non autem mobilia, & extra ſtatuentis Territorium, *juxta theſ. 9. & 11.*

CASUS DXXXI.

C. 23. Ultrajecti habitans, *ubi Statuto cavetur, ne teſtamentum, ſine licentiâ judicis factum, ſubſiſtat*, condidit teſtamentum Ultrajecti ſine judicis licentiâ, quæritur, an illud valeat reſpectu bonorum Coloniæ ſitorum? Reſpondeo: Illud non valere reſpectu bonorum Coloniæ ſitorum, quia Statutum mixtum, etiam quoad bona, egreditur ſtatuentis Territorium, uti dictum eſt.

CASUS DXXXII.

D. 23. Filiusf. Colonienſis (ex ſuppoſito, Coloniæ vigere Statutum, *ut filiusf. teſtari poſſit*) Treviris condit teſtamentum, quæritur, an teſtamentum validum ſit tam quoad bona Trevirenſia, quàm Colonienſia? Reſpondeo: teſtamentum D. Filii F. validum eſſe quoad bona Colonienſia, non autem Trevirenſia, quia Statutum perſonale loci domicilii habilitat perſonam ad agendum generaliter tantùm quoad bona, intra Territorium ſtatuentis ſita, *juxta Theſ.* 12. & 15.

CASUS DXXXIII.

E. 23. Treviris habens Domicilium, ubi pono Statutum eſſe, *ne minor octodecim annis teſtari valeat*, Moguntiæ condit teſtamentum, quæſtio eſt, utrùm hoc valeat non tantùm reſpectu Trevirenſium, verùm etiam Moguntinorum bonorum? Reſpondeo: tale teſtamentum valere, non

non quidem quo ad bona Trevirenſia, ſed Moguntina, quia Statutum perſonale inhabilitat perſonam ubique quoad bona, intra Territorium Statuentis ſita, *juxta Theſ.* 12. 16.

CASUS DXXXIV.

F. 23. Coloniæ (ubi Statutum eſt, *ut ultimò ſuperſtes tantùm medietatem mobilium habeat*) conjugatus moritur, relictis mobilibus Juliaci exiſtentibus (ubi Statutum viget, *quòd ad ultimò ſuperſtitem pertineant omnia mobilia*) quæritur, an uxor ſuperſtes omnia Juliacenſia mobilia, an tantùm medietatem conſequatur? Reſpondeo: uxorem ſuperſtitem tantùm conſequi medietatem mobilium Juliacenſium, quia Statutum reale ex dictis non afficit mobilia, cùm ibi exiſtere cenſeantur, ubi perſona exiſtit, hincque Colonienſe Statutum Juliacenſi in hoc paſſu præfertur.

CASUS DXXXV.

G. 23. Juliaci (ubi Statuto cavetur, *quòd rupto thoro proprietas omnium immobilium, tam ad defunctum, quàm ſuperſtitem pertinentium, devolvatur ad liberos*) domiciliatus & conjugatus, moritur Coloniæ (ubi proprietas bonorum ad defunctum pertinentium, quibus uxor non reperitur ſimultaneè adſcripta, rupto thoro tantùm ad liberos devolvitur) quæritur, quorum bonorum proprietas in liberos ſit devoluta? Reſpondeo: proprietatem bonorum immobilium Juliacenſium, tam ad defunctum, quàm ſuperſtitem pertinentium, totam ad liberos devolvi, immobilium autem Colonienſium proprietatem tantùm ad liberos tranſire, quibus uxor non reperitur ſimultaneè adſcripta, ex ratione, quòd Statutum reale vinculum injiciat immobilibus, in cujuslibet Statuentis Territorio ſitis.

CASUS DXXXVI.

H. 23. Subditus Trevirenſis, citatus ad Judicium Colonienſe, comparuit, & Sententiam obtinuit: Mevius, Sempronius, & alii Trevirenſes ſubditi hoc exemplum ſunt ſecuti, quæritur, an conſuetudo ſit introducta citandi Trevirenſes ad judicia Colonienſia? Reſpondeo: conſuetudinem inductam non eſſe, Trevirenſes ad judicia Colonienſia citandi, quia actus, de ſui naturâ judiciales, inhabiles ſunt ad conſuetudinem inducendam, comparitiones enim tales aut ex prorogatione, aut ex imperitiâ factæ fuiſſe cenſentur, proindéque de animo introducendi conſuetudinem ſufficienter non conſtat, *juxta Theſ.* 23.

CASUS DXXXVII.

I. 23. Baſtardus cum Fratribus ſuis legitimis ad hæreditatem Patris fuit admiſſus contra legem Principis, conceptam ſub decreto irritante, quæritur, an, ſi alii Baſtardi ſæpius ad ſimilem ſucceſsionem ſint admiſsi, introducta ſit contra legem conſuetudo? Reſpondeo: conſuetudinem contra legem introductam non eſſe, quia actus, è diametro cum lege pugnantes, conſuetudinem inducere non poſſunt, niſi illa in contradictorio firmata foret, eo caſu enim tacitus ſpecialis Principis conſenſus præſumi non poteſt, *juxta Theſ. 24.*

CASUS DXXXVIII.

K. 23. Gallus in Germaniâ condidit teſtamentum, quæritur, an, cùm Galli reprobent teſtamenta, à Germanis in Galliâ condita, prædictum Galli teſtamentum quoad bona Germanica poſsit jure rejici? Reſpondeo: Galli teſtamentum quoad bona Germanica jure rejici poſſe, idque jure retorſionis, quiſque enim uti poteſt illo jure, quod in ſubditum ejus ſtatutum fuit, licet regula hæc limitetur, ſi caſus illi concurrant, quibus jus Albinagii in Gallia ceſſare diximus, *juxta Theſ.* 35.

CASUS DXXXIX.

L. 23. Paterf. bona filii adventitia alienavit ſinè decreto Judicis, quæritur, an alienatio ſubſiſtat caſu, quo poſt diſſolutum Matrimonium bona eſſent ad filium devoluta? Reſpondeo: alienationem non ſubſiſtere, niſi juſta cauſa adſit, puta, alimentorum, æris alieni, &c. ſecus enim requiritur decretum judiciale, *juxta Theſ.* 40.

CASUS DXL.

M. 23. Viduus habens liberos, cum viduâ habente etiam liberos, utrimque præter legitimos etiam *naturales tantùm*, init matrimonium, & erigit unionem prolium, quæritur, an unio præter liberos legitimos, etiam complectatur naturales tantùm? Reſpondeo: unionem, præter legitimos, *naturales tantùm* non complecti, uti ex dictis conſtat, unio enim prolium imitatur ſucceſsionem ab inteſtato, naturales verò neque ab inteſtato Patri ſuccedunt, quia autem naturales ad ſucceſsionem matris admittuntur, reſpectu hujus quoque in unionem veniunt.

CASUS DXLI.

N. 23. Viduus, inter liberos ſuos & fictos, init unionem prolium, nullâ bonorum factâ ſpecificatione, quæritur, an ſi ſint etiam in bonis Patris unientis fideicommiſſa Familiæ, hæc in unionem cadant? Reſpondeo:

deo: fideicommiſſa Familiæ in unionem prolium non cadere, nam ineuntibus hæc fideicommiſſa, placuit, ne extra Familiam talia bona alienentur.

CASUS DXLII.

O. 23. Princeps Imperii in portu Anglicano exercet jus legendi conchilia, quæritur, an Rege Angliæ contradicente, hoc exercitium ſit legibus conforme? Reſpondeo: exercitium hoc, Rege Angliæ contradicente, legibus conforme non eſſe, quia mare hodie, quoad uſus exhauribiles, commune non eſt, cùm uſus talis Potentiis accolis, portus habentibus, competat, *juxta Theſ. 60.*

CASUS DXLIII.

P. 23. Pretioſas picturas fecit inſeri domûs ſuæ pavimento, quæritur, an, ſi hæredem unum mobilium, alterum immobilium ſcripſerit, prædictæ picturæ ad hæredem mobilarem ſpectent? Reſpondeo: picturas ad mobilarem hæredem non pertinere, quia res, licèt de ſui naturâ mobiles, lege immobilarizantur, ſi non ornatûs gratiâ, ſed ita poſitæ ſint, quò ædes perficiantur, *juxta Theſ 73. & 74.*

CASUS DXLIV.

Q. 23. Conſiliarius aulicus Principis, habens à Titio, obærato debitore, prætendere mille, concedit eidem inducias ad quinquennium; moto jam tum concurſu creditorum, vidua Conſiliarii intimi concreditrix, habens etiam prætenſionem ad mille, his induciis contradicit, quæritur, quid juris? Reſpondeo: Titio obærato debitori concedendas eſſe inducias quinquennales, à Conſiliario aulico ipſi conceſſas, viduâ Conſiliarii intimi licèt contradicente, quia vi juris Proædriæ Vir potior eſt fœminâ, ſi non pluribus, quàm uno gradu, fœminâ inferior ſit, idque ob ſexus maſculini præſtantiam, *juxta Theſ. 81. & 82.*

CASUS DXLV.

R. 23. Debitor Judicis conſtituit eidem pro ſecuritate crediti fundum in hypothecam, quam ipſe Judex propriâ authoritate munit, quæritur, an hujus hypothecæ confirmatio teneat? Reſpondeo: tenere hujus hypothecæ confirmationem, quia quilibet judex hodie propriam ſuam authoritatem ſibi interponere poteſt in actibus, qui perſonam ſuam tantùm attinent, & tertio præjudicium non afferunt, *juxta theſ. 83.*

CASUS DXLVI.

S. 23. Infamis â Principe in Notarium creatus, variis teſtamentis adſtitit, quæritur, an cùm prædictus S. per errorem communem habitus fuerit pro Notario, exinde autem innoteſcat, illum illegitimè eſſe creatum, teſtamenta, coram ipſo creata, ſint ſuſtinenda? Reſpondeo: Teſtamenta coram Notario tali erecta, ſuſtinenda eſſe, quia actus ab inhabili celebratos nihilominùs valere diximus, concurrentibus errore communi, utilitate publicâ, titulo juſto, & collatione tituli ab eo, qui, ſi vitium ſciviſſet, in illo deſpenſare potuiſſet, *juxta Theſ.* 89.

CASUS. DXLVII.

T. 23. Se pro Notario geſſit, & nullâ creatione præviâ, varios actus Notariales celebravit, quæritur, an, ſi poſtea conſtet inhabilitas, actus hi propter errorem communem, & publicam utilitatem, poſſint ſuſtineri? Reſpondeo: Actus tales, à Notario putativo celebratos, ſuſtineri non poſſe, quia, licèt hoc caſu concurrat error communis cum utilitate publicâ, titulus tamen juſtus abeſt, qui pariter ad validitatem actûs, ab inhabili celebrati, requiritur, *juxta thes.* 90.

CASUS DXLVIII.

V. 23. Judæus â Comite Palatino Notarius creatus, teſtamenta condidit, inſinuationes fecit &c. quæritur, an, ſi innoteſcat Notarium judæum eſſe, actus per ipſum geſti ſint declarandi validi? Reſpondeo: Actus, â judæo in qualitate Notarii geſtos, validos declarandos non eſſe, quia actus â Notario inhabili ob Judaiſmum celebrati non tenent, *juxta Theſ.* 91.

CASUS DXLIX.

W. 23. Princeps Titio conceſſit jurisdictionem altam, die hohe Obrigkeit/ quæritur, an Titius maleficis poſſit pœnam capitalem dictare? Reſpondeo: Titium maleficis capitalem pœnam dictare poſſe, quia termini: Die hohe Obrigkeit/ etiam criminalem jurisdictionem, ſeu jus gladii denotant, ſi literis conceſſionis inſerti ſint, *juxta Theſ.* 101. *&* 102.

CASUS DL.

X. 23. Imperator donavit Mevio jurisdictionem, mit allen und jeden Gerichten/ Sempronius, ob furtum magnum incarceratus, â Mevio ad pœnam laquei condemnatur, quæritur, an ſententia ſit juſta? Reſpon-

pondeo? Sententiam juſtam eſſe, quia vox omnimoda eſt univerſalis, & conſequenter omnes jurisdictionis ſpecies complectitur, *juxta Theſ.* 104.

CASUS DLI.

Y. 23. Princeps vendidit Cajo jurisdictionem indefinitè per certum territorium, quæritur, an Cajus capitalis delicti reos poſſit apprehendere, examinare, & pœnæ ultimi ſupplicii ſubjicere? reſpondeo: Cajum capitalis delicti reos poſſe examinare, apprehendere, & pœnæ ultimi ſupplicii ſubjicere, quia in dubio etiam conceſſum cenſetur merum imperium, maximè ſi jurisdictio titulo oneroſo quæſita ſit, *juxta Theſ.* 108.

CASUS DLII.

Z. 23. Dominus jurisdictionis donavit eandem Ulpiano, quæritur, an donator cum donatario poſſit in jurisdictionis exercitio concurrere? reſpondeo: Donatorem cum donatario non poſſe in jurisdictionis exercitio concurrere, quia jurisdictio privativè conceſſa cenſetur, ſi titulo dominii translativo habeatur, *juxta Theſ.* 110.

CASUS DLIII.

A. 24. Dominus territorialis Papinianum in ſuum conſtituit prætorem jurisdictione conceſſâ, quæritur, an Papinianus concedentem poſſit â jurisdictionis exercitio excludere? Reſpondeo: Papinianum concedentem â jurisdictionis exercitio excludere non poſſe, quia Papinianus jurisdictionem conſecutus non eſt titulo Dominii translativo, qui tamen requiritur, ut jurisdictio privativè conceſſa cenſeatur, *juxta Theſ.* 110.

CASUS DLIV.

B. 24. Exiſtit in poſſeſſione jurisdictionis, aut alius juris realis, nullum poſſeſſionis ſuæ habens titulum, quæritur, an B. privatus contra Principem in poſſeſſione ſit manutenendus? reſpondeo: Privatum contra principem in poſſeſſione manutenendum non eſſe, quia, niſi privatus titulatam poſſeſſionem jurisdictionis ſaltem ſummariè probet, præſumptio militat pro Principe jurisdictionem & alia regalia ſibi retinendi, *juxta Theſ.* 112.

CASUS DLV.

C. 24. Judex Colonienſis citavit ſubditum Juliacenſem, & contra eundem tulit ſententiam, quæritur, an ſententia valeat, aut quâ poſſit exceptione elidi? reſpondeo: Sententiam exceptione nullitatis, ob non competentem judicem, elidibilem eſſe, non ſubditus enim citari non poteſt, quia extra territorium jus dicenti impunè non paretur, *juxta Theſ.* 118.

CASUS DLVI.

D. 24. Incola loci, de quo dubitatur, an ſit Territorii Colonienſis, an Juliacenſis, citatus à judice Colonienſi emanet, & in contumaciam condemnatur, quæritur, an Sententia ſubſiſtat, aut quæ contra eandem poſsit opponi exceptio? Reſpondeo: contra hanc ſententiam nullam exceptionem opponi poſſe, in dubio enim per citatum facienda eſt comparitio, & incompetentia alleganda, aliàs judex ad definitivam ſententiam in contumaciam legitimè procedit, *juxta theſ 120. & 121.*

CASUS DLVII.

E. 24. In judicio pulſatus incipit bona ſua dilapidare, Actor petit à Reo cautionis præſtationem, quæritur, an reus ad cautionem, & qualem conſtringi poſsit? Reſpondeo: reum conſtringi poſſe ad cavendum judicatum ſolvi, prodigus enim à cautionis præſtatione immunis non eſt, cùm aliàs actori ſufficienter proſpectum non foret, *juxta Theſ.* 125.

CASUS DLVIII.

F. 24. Ingolſtadienſis Monachii convenit in judicio Mevium, & obmotâ per hunc exceptione cautionis, replicat ſe Ingolſtadii eſſe in immobilibus poſſeſsionatum, quæritur, an, & quâ ratione actor ſit ab aliâ cautionis præſtatione liberandus? Reſpondeo: actorem ab aliâ cautionis præſtatione liberandum eſſe, modò actor bona ſua immobilia ſimul oppignoret & inſcribat, nam poſſeſſor immobilium, licèt non ſub eodem judice inferiore, in eâdem tamen Provinciâ ſitorum, etiam à cautione immunis eſt, *juxta theſ. 129. & 130.*

CASUS DLIX.

G. 24. Contra Mevium agit in judicio ex capite equi ſibi ablati, petendo, reum condemnari ad equi reſtitutionem, reus opponit exceptionem non expreſſæ actionis, quæritur, an exceptio ſit fundata? Reſpondeo: exceptionem fundatam non eſſe, quia hodie ſufficit factum ita narrare, & concludere, ut, quid, & quâ ex causâ petatur, judici æquè, ac reo liquere poſsit, *juxta theſ. 133.*

CASUS DLX.

H. 24. Contra Cajum in judicio experitur ex capite mille ducatorum mutuò datorum, petendo, reum conſtringi ad hos ducatos in ſpecie, & non deterioratos reſtituendos, aut aliàs omni meliori modo juſtitiam ſibi adminiſtrari, reus opponit exceptionem inepti libelli, quæritur, an exceptio ſit fundata, aut an Judex reum ad reſtitutionem mutui condemnare valeat?

valeat? Reſpondeo: exceptionem fundatam non eſſe, & judicem valere reum ad mutui reſtitutionem condemnare, quia, ſi libellus clauſulâ ſalutari munitus ſit, per ſpecialem efficaciam, huic clauſulæ à jure conceſſam, libellus ſalvatur, non obſtante exceptione à reo oppoſitâ, *juxta theſ.* 136.

CASUS DLXI.

J. 24. Duo habens ejusdem debiti chyrographa, unum reddit debitori, altero retento, quæritur, an per unius chyrographi redditionem cenſeatur eſſe initum tacitum pactum de non petendo? Reſpondeo: per unius chyrographi redditionem non cenſeri initum eſſe pactum tacitum de non petendo, quia eo caſu animus debitum remittendi in creditore non apparet, *juxta theſ.* 147.

CASUS DLXII.

K. 24 Creditor Titii iniit pactum de non petendo ab ipſo canonem v. g. Emphyteuticum, bene tamen ab ejus hæredibus, quæritur, an hoc pactum fundi Emphyteutici emptori quoque proſit? Reſpondeo: hoc pactum etiam fundi Emphyteutici emptori prodeſſe, quia pacta perſonalia proſunt ſucceſſori particulari ad vitam paciscentis, præviâ per hunc factâ ceſsione, aut donatione, *juxta Theſ.* 150.

CASUS DLXIII.

L. 24. Creditor Titii cum Mevio tale pactum iniit: *Ego non petam à te hoc, quod mihi debes*, quæritur, an hæres L. poſsit ab hærede Titii debitum petere, aut qualis ipſi obſtet exceptio? Reſpondeo: hæredem L. non poſſe ab hærede Titii debitum petere, quin ipſi obſtet exceptio, pactum enim reale, quale in dubio præſumitur, hæredibus quoque proficit, quia non tantùm nobis, ſed etiam noſtris hæredibus acquirimus, *juxta Theſ.* 151.

CASUS DLXIV.

M. 24. Proximior conſanguineus Marcelli cum Sempronio pactum init de relinquenda Sempronio hæreditate Marcelli adhuc vivi, in caſum mortis, quæritur, qualis exceptio huic pacto de Jure Romano opponi poſſit, & qualis de hodiernis moribus? Reſpondeo: huic pacto de Jure Romano opponi poſſe nullitatis exceptionem, non autem de jure hodierno, quia cauſæ, quæ pacta de hæreditate tertii viventis & ignorantis apud Romanos invalida reddiderunt, hodie obpræſumptam in omnibus ſinceritatem ceſſant, *juxta Theſ.* 162. *&* 165.

CASUS DLXV.

N. 24. Sententiam habet contra Mevium, de reſtituendis mille ex mutuo, in rem judicatam prolapſam, tranſigit deinde cum ſuo adverſario de præſtandis octingentis, quæritur, an tranſactio valeat, aut quâ exceptione poſſit impugnari? Reſpondeo: Tranſactionem de jure hodierno ſecus, ac Romano, valere, nullâque exceptione impugnari poſſe, quia, licèt res judicata certa ſit, executio tamen ejus, ob varias difficultates occurrentes, dubioſa & incerta eſt, *juxta Theſ.* 168.

CASUS DLXVI.

O. 24. Mihi in teſtamento reliquit mille, petiî ab hærede teſtamentum mihi edi, hærede autem detrectante, cum ipſo tranſigo ad octingentos mihi præſtandos, quæritur, an, & qualis contra hanc transactionem mihi competat exceptio? Reſpondeo: Mihi contra hanc transactionem invaliditatis ſeu nullitatis exceptionem competere, ratio ſtat in ipſa indole transactionis, quæ rem dubiam requirit, tabulis autem non inſpectis, res eſt ignorata, & non dubia, *juxta Theſ.* 169. & 170.

CASUS DLXVII.

P. 24 Legavit mihi in teſtamento pro alimentis annuos triginta imperiales, ego cum hærede tranſigo de numerandis mihi ſemel pro ſemper imperialibus mille, quæritur, an tranſactio valeat? Reſpondeo: transactionem non valere, nam de alimentis futuris, per ultimam voluntatem relictis, aliter tranſigi nequit, quàm judice authore, & prævià cauſæ cognitione, idque ob ſpecialem alimentorum favorem, *juxta Theſ.* 172.

CASUS DLXVIII.

Q. 24. Commiſit homicidium in mea præſentia, & mecum parato accuſare init tranſactionem ad mille, ut ab accuſatione deſiſtam, quæritur, an tranſactio valeat? Reſpondeo: Tranſactionem valere, quia de criminibus publicis præteritis & capitalibus regulariter rectè tranſigitur quoad intereſſe partis, nam licet quoque de jure hodierno ſanguinem redimere, *juxta Theſ.* 175.

CASUS DLXIX.

R. 24. Credebat ſibi â Mevio deberi tantùm mille, tranſigit cum ipſo ad octingentos, quæritur, an, ſi ex repertis de novo inſtrumentis conſtet debitos eſſe bis mille imperiales, tranſactio poſſit impugnari, & quo remedio? Reſpondeo: Tranſactionem in hoc caſu impugnari poſſe remedio *L. fin. Cod. de reſcind. Vend.* nam licèt tranſactio publicam merea-

tur

tur authoritatem, tamen ob noviter reperta inſtrumenta retractatur, ſi læſio ultra dimidium concurrat, *juxta* Theſ. 181.

C A S U S DLXX.

S. 24 Advocatus expreſſit in judicio circumſtantiam erroneam, v. g. allegando exceptionem ſolutionis, quæritur, quo remedio parti poſſit ſuccurri? Reſpondeo: Si error parte præſente commiſſus ſit, intra tres dies revocari poteſt, ſi autem pars abſens fuerit, & adverſarius errorem non acceptaverit, error ſemper revocabilis eſt, *juxta theſ.* 184. *&* 185.

C A S U S DLXXI.

T. 24. Advocatus bonæ, & juſtæ cauſæ pro victoria obtinenda adducit authorem fictum non exiſtentem in rerum natura, quæritur, an tutâ conſcientiâ hoc fieri poſſit? Reſpondeo: Hoc tutâ conſcientiâ fieri poſſe, quia, licèt Advocatus in bona cauſa dolum malum committere non poſſit, tamen animi ſolertiam adhibere ipſi licet, *juxta Theſ* 187. niſi judicem adduxerit ad ita judicandum, qui aliâs alio modo judicâſſet.

C A S U S DLXXII.

V. 24. Pronuntiavit ſententiam contra Titium, & imploratus præſtat eidem patrocinium, quæritur, an in eâdem cauſa tutâ conſcientiâ advocatus eſſe poſſit? Reſpondeo: Illum in eâdem cauſa tutâ conſcientiâ advocatum eſſe non poſſe, quia judex, ne quidem ùt advocatus, propriam ſententiam impugnare poteſt, ne ſeipſum iniquitatis arguat, *juxta Theſ.* 188.

C A S U S DLXXIII.

W. 24. In cauſâ Titii contra Mevium, ab illo pro patrocinio imploratus examinatis meritis, & deprehenſâ injuſtitiâ, renuit Titio patrocinium præſtare, quæritur, an eandem cauſam pro Mevio in judicio agere poſſit? Reſpondeo: illum eandem cauſam pro Mevio contra Titium in judicio agere non poſſe, ratio eſt metus propalationis, nimirum ne Advocatus, ſub ſigillo naturali ad ſilentium obligatus, unius partis fundamenta edicendo illi præjudicium afferat, *juxta Theſ* 190.

C A S U S DLXXIV.

X. 24. advocatus Mevii pro ſuo cliente intentat rei vindicationem, & ſic concludit: *Hinc peto, Domine judex! Mevium declarari fundi Tuſculani Dominum, & reum ad illius deoccupationem conſtringi*, quæritur,

an, ſi reus fructus ex fundo perceperit, advocatus ſuo clienti de his reſpondere teneatur? Reſpondeo: Advocatum teneri de fructibus clienti ſuo reſpondere, Advocatus enim, cùm artem profiteatur, præſtat minimam negligentiam, ſeu culpam leviſsimam, *juxta theſ. 191.* quam commiſit, officium Judicis in caſu non implorando.

CASUS DLXXV.

Y. 24. Condemnatus ob homicidium ad relegationem perpetuam, in alio loco à Mevio in teſtem producitur contra Titium, quæritur, qualem exceptionem Titius teſti poſsit opponere? Reſpondeo: Titium teſti opponere poſſe exceptionem infamiæ juris, quippe infames à teſtimonio repelluntur ex eo, quòd infamia juris fidem tollat, *juxta Theſ.* 195. & 197.

CASUS DLXXVI.

Z. 24. Mimus Conſulatum, in loco ſuæ habitationis vacantem, cum variis aliis Candidatis ambit, quæritur, an, & qua exceptione poſsit à Conſulatu repelli? Reſpondeo: Mimum à Conſulatu repelli poſſe exceptione infamiæ facti, quæ removet à dignitatibus obtinendis, *juxta theſ.* 196. & 198.

CASUS DLXXVII.

A. 25. Lictor à Titio contra Mevium teſtis producitur in judicio, quæritur, an, & qua exceptione teſtis poſsit à teſtimonio arceri? Reſpondeo: teſtem exceptione à teſtimonio arceri non poſſe, lictores enim neque Juris, neque facti infamiam incurrunt, proindeque fides eorum neque tollitur, neque minuitur, *juxta theſ* 201.

CASUS DLXXVIII.

B. 25. Fratre germano præterito, filiam Carnificis inſtituit hæredem, nullâ præteritionis expreſsâ causâ, quæritur, an, & qualem Frater germanus contra hoc teſtamentum habeat actionem? Reſpondeo: Fratri germano contra hoc teſtamentum competere querelam inofficioſi, quia, licèt Carnifices infames non ſint, nihilominùs tamen levis notæ maculâ afficiuntur, *juxta theſ.* 202.

CASUS DLXXIX.

C. 25. Agens annum vigeſimum à me in cauſa contra Titium conſtituitur Procurator, cauſam agit, Titius excipit de inhabilitate, quæritur, an exceptio ſit legitima? Reſpondeo: exceptionem legitimam eſſe; jus enim Canonicum non confidit minori munus tam arduum, quale eſt Procu-

Procuratoris, utpote qui ob ætatis defectum ſua gerere non poteſt, *juxta Theſ. 205. & 206.*

C A S U S DLXXX.

D. 25. Conſtituit me Procuratorem in judicio, ego, cùm abeſſe deberem, ſubſtitui Mevium, quæritur, qualis exceptio Mevio cauſam agenti opponi poſsit? Reſpondeo: Mevio cauſam agenti opponi poſſe invalidæ ſubſtitutionis exceptionem de jure hodierno (ſecus, ac de jure Romano ob fictum litis dominium) quia Procurator non habitâ ſubſtituendi licentiâ, inſcio Principali, alium ſubſtituere non poteſt, *juxta theſ. 213.*

C A S U S DLXXXI.

E. 25. Conſtituit in ſuum Procuratorem Mevium: E. moritur: Mevius proceſſum continuat, quæritur, an, & quali exceptione poſsit repelli? Reſpondeo: Mevium repelli poſſe exceptione invalidæ continuationis, ſeu mandatum exſpiraſſe, quia Procurator hodie continuare non poteſt proceſſum mortuo Principali, cùm non amplius fiat litis Dominus, *juxta theſ. 210. & 214.*

C A S U S DLXXXII.

F. 25. Procurator meus neglexit libellum inrotulare, Judex me à limine Judicii repulit, & in expenſas condemnavit, quæritur, an, & ad quid Procurator mihi teneatur? Reſpondeo: Procuratorem mihi teneri ad refuſionem damni; nam cùm Procurator artem profiteatur, etiam minimam negligentiam præſtat, *juxta theſ. 216.*

C A S U S DLXXXIII.

G. 25. Me præſente negotia mea geſsit, ſed ignorante, quæritur, an G. habeat contra me actionem negotiorum geſtorum? Reſpondeo: G. contra me habere actionem negotiorum geſtorum, quia etiam hoc caſu ex parte gerentis ponitur factum ex natura obligatorium, & Lex præſumit Domini conſenſum ob naturalem, quæ hic ſubeſt, æquitatem, *juxta theſ. 222.*

C A S U S DLXXXIV.

H. 25. Prætor in pago contra me minorennem, Curatore ad litem deſtitutum, tulit ſententiam definitivam, ego ex capite minorennitatis coram eodem Prætore intento remedium reſtitutionis in integrum, quæritur, an Prætor poſsit ſuper reſtitutione pronuntiare? Reſpondeo: Prætorem ſuper reſtitutione in integrum pronuntiare poſſe, quia hodie

 quiſcun-

quiſcunque judex, modò aliàs competens ſit, & habeat ordinariam juriſdictionem, etiam contra propriam ſententiam reſtitutionem in integrum impertiri poteſt, quippe per hoc ſententiæ ſuæ non contradicit, ſed tantùm illius executionem impedit, *juxta Theſ.* 226. & 227.

CASUS DLXXXV.

I. 25. Contra me Confluentiæ domiciliatum, fundo Coloniæ ſito uſucapto, inſtituit remedium reſtitutionis in integrum Coloniæ ex capite abſentiæ ſtudiorum cauſâ, quæritur, an judex Colonienſis cauſam poſſit decidere? Reſpondeo: Judicem Colonienſem cauſam decidere poſſe, quia reſtitutio in integrum in loco etiam rei ſitæ inſtitui poteſt, ſi agatur actione reali reſciſſoriâ utpote quæ in loco rei intentanda eſt, *juxta Theſ.* 229.

CASUS DLXXXVI.

K. 25. Juliaci domiciliatus à me Colonienſi ſtipulatur mille ſolvendos Coloniæ, quos ego ex metu promitto, quæritur, an reſtitutionem in integrum contra K. Coloniæ poſſim inſtituere? reſpondeo: Me reſtitutionem in integrum contra K. Coloniæ inſtituere poſſe, quia reſtitutionis remedium in loco contractûs proponi valet, ſi reſtitutio ex ipſo contractu intentanda ſit, *juxta thes.* 231.

CASUS DLXXXVII.

L. 25. Reſtitutionem in integrum contra ſententiam in favorem Titii latam, & in rem judicatam prolapſam, intentavit, Titius inſtat pro executione, quæritur, an judex ſententiam exequi poſſit? Reſpondeo: Judicem ſententiam exequi non poſſe, quia reſtitutio in integrum petita, licèt nondum impetrata, ſuſpendit regulariter executionem, *juxta Theſ.* 232.

CASUS. DLXXXVIII.

M. 25. Vendidit mihi prædium Tuſculanum ex metu, ego contra illum intento actionem venditi ad rem tradendam, quæritur, qualem reus, pretio etiam ſoluto, habeat exceptionem? reſpondeo: Reum, etiam ſoluto pretio, habere nullitatis exceptionem, quippe de jure Romano negotia bonæ fidei, metu inita, nulla ſunt, cùm negotia hæc non ſubſiſtant, niſi contrahentium ſerius animus deprehendatur, *juxta theſ.* 234.

CASUS DLXXXIX.

N. 25. Me metu coegit ad cedendam actionem mutui contra Titium con-

petentem, quæritur, in quid judex reum poſsit & debeat condemnare? Reſpondeo: judicem debere reum condemnare ad actionem mihi reſtituendam, quia ſi actio metu amiſſa ſit, neceſſarium eſt remedium reſcindens ad actionem recuperandum, reſciſſorium verò ad rem vi reſtitutæ actionis conſequendam, *juxta Theſ. 236.*

CASUS DXC.

O. 25. Metu mihi extorſit ceſsionem fundi Tuſculani, intento contra O. remedium reſtitutionis, quæritur, in quid Judex reum poſsit condemnare? Reſpondeo: judicem reum condemnare poſſe ad fundi Tuſculani reſtitutionem, nam ſi res ab actione diſtincta metu amiſſa ſit, ſufficit unum remedium nempe reſciſſorium, vi cujus res reſtituenda eſt, *juxta Theſ.* 236. *&* 237.

CASUS DXCI.

P. 25. Metu me impulit ad fundum meum mediante ſtipulatione cedendum, quem deinde vendidit Mevio, ego contra Mevium inſtituo remedium reſtitutionis in integrum ex capite metûs, quæritur, an Mevius in hiſce circumſtantiis habeat exceptionem? Reſpondeo: Mevium in his circumſtantiis exceptionem non habere, cùm enim reſtitutionis remedium ex capite metûs in rem ſcriptum ſit, datur contra quemvis poſſeſſorem, *juxta Theſ.* 239.

CASUS DXCII.

Q. 25. Dolo Titium induxit ad promittendos mille, quæritur, quâ exceptione Q. agenti ex ſtipulatione obviam iri poſſit? Reſpondeo: Q. agenti ex ſtipulatione reſtitutionis remedio obviam iri poſſe, quia, ſi dolus in contractu ſtricti juris admittatur, & deſuper nihil actum ſit, indiſtinctim neceſſaria eſt reſtitutio, *juxta theſ.* 243.

CASUS DXCIII.

R. 25. à Mevio emit frumenta, doloſâ perſuaſione circumſcriptus, ob imminens bellum frumenta magno pretio futura, quæritur, qualis venditori, ad implementum contractûs agenti, frumentis jam traditis, obmoveri poſsit exceptio? Reſpondeo: venditori ad implementum contractûs agenti, frumentis jam traditis, exceptionem nullitatis obmoveri poſſe; dolus enim, dans cauſam contractui bonæ fidei, illum vitiat ob defectum ſerii animi contrahentium, neceſſarii ad bonæ fidei contractûs valorem, *juxta Theſ.* 244.

CASUS DXCIV.

S 25. Dolô venditoris Bellum imminere inductus, plumbum emit pluris, ac aliàs emiſſet, quæritur, an, & quali remedio emptor contractum impugnare poſſit? Reſpondeo: Emptorem contractum impugnare poſſe reſciſſionis remedio, cùm talis contractus, in theſi loquendo, valeat, ex æquitate tamen, ob dolum incidentem, reſcindatur *juxta theſ.* 244.

CASUS DXCV.

T. 25. Fundum Tuſculanum dolo malo, dante cauſam contractui, à Mevio emptum, & traditum actione rei vindicatoriâ repetit à Cajo moderno poſſeſſore, quæritur, an actio ſit fundata? Reſpondeo: Actionem fundatam eſſe, quia contractu bonæ fidei, ob dolum dantem cauſam contractui, nullo, ne quidem dominium transfertur, cùm ob defectum animi ſerii contrahentis contractus hic nullus ſit, *juxta thes.* 245.

CASUS DXCVI.

V. 25. Agens annum 20 pro fundo valente 10. imperiales, accepit novem, quæritur, quo remedio minori contra contractum ſit conſultum? Reſpondeo: Minori reſtitutionis remedio conſultum eſſe, nam minorennitas concurrente læſione, licèt minimâ, dat locum reſtitutionis remedio, *juxta theſ.* 250.

CASUS DXCVII.

W. 25. Completo anno 23tio fundum valentem 500. cum curatoris conſenſu vendidit 400. quæritur, an remedio reſtitutionis in integrum ſit locus? Reſpondeo: Remedio reſtitutionis in integrum locum eſſe, quia etiam contra geſta cum curatoris conſenſu remedium hoc admittitur, minores enim omni modo indemniſare jura intendunt, *juxta theſ.* 252.

CASUS DXCVIII.

X. 25. Nondum adeptus annum 25tum per haſtam publicam, etiam cum curatoris conſenſu, domum mille valentem vendidit ſexcentis, quæritur, an remedium reſtitutionis contra hunc contractum intentari poſſit? Reſpondeo: Remedium reſtitutionis in integrum intentari poſſe, quia remedium hoc contra venditionem ſub haſta admittitur, ſi læſio enormis concurrat, *juxta theſ.* 256. Qualis videtur eſſe in Hypotheſi.

CASUS DXCIX.

Y. 25. Anno 17mo completo, Doctor Juris publicè promotus contractum celebrat, & læditur, quæritur, an eidem remedio reſtitutionis ſit ſub-

ſubveniendum? Reſpondeo: eidem remedio reſtitutionis ſubveniendum eſſe, ſi citra juris errorem in contractu læſus ſit, quia tunc ſimiliter minorennitas illi prodeſt, *juxta Theſ.* 257.

CASUS DC.

Z. 25. Ob bannum abſens uſucepit fundum meum, quæritur, quale contra reverſum habeam remedium? Reſpondeo: me contra reverſum habere reſtitutionis remedium, quia ex abſentia adverſarii ob qualemcunque cauſam, præſenti læſo reſtitutionis remedium conceditur, *juxta Theſ.* 259.

CASUS DCI.

A. 26. Fundum ad ſtudioſum abſentem pertinentem præſcripſit, quæritur, quo remedio ſtudioſo ſuccurratur? Reſpondeo: reſtitutionis remedio ſtudioſo ſuccurri, quia actoris abſentia laudabilis & neceſſaria locum facit reſtitutioni, Prætor enim in remunerationem talis abſentiæ actum de jure civili validum reſcindit, *juxta Theſ.* 260.

CASUS DCII.

B. 26. Ob homicidium proſcribitur ad 30. annos, domum illius bona fide, juſto titulo emptionis conſequitur Titius, & per viginti annos continuos poſſidet, quæritur, quodnam remedium B. reverſus poſsit intentare? Reſpondeo: B. reverſum reſtitutionis remedium intentare poſſe, ſi domi procuratorem relinquere non potuerit, quia abſentia vituperabilis neceſſaria etiam reſtitutionem meretur, ſi abſens domi Procuratorem relinquere non potuerit, *juxta theſ.* 261.

CASUS DCIII.

C. 26. Vendidit mihi fundum Tuſculanum valentem 1000. tanti, quantum Mevius arbitratus fuerit, hic pretium determinat ad 500. quæritur, an, & quale remedium venditori competat? Reſpondeo: venditori competere correctionis remedium ex eo, quod pravum arbitratoris judicium corrigi poſsit, arbitratores enim Judicis vices non agunt, *juxta theſ.* 268.

CASUS DCIV.

D. 26. Debet mihi ex originali inſtrumento obligationis mille, orta inter nos controverſiâ eò quòd inſtrumentum non ſit die & Conſule munitum, compromiſſo res defertur Titio, Titius debitorem abſolvit, quæritur, an arbitrium Titii corrigi poſsit? Reſpondeo: Titii arbitrium corrigi non poſſe, quia cùm arbiter quaſi Judex ſit, arbitrium ejus ſen-

tentiæ in rem judicatam lapſæ æquivalet, proindéque correctioni non ſubjacet, *juxta Theſ.* 269.

CASUS DCV.

E. 26. Poſt decem annos, pretiô iniquô â Mevio determinatô, provocat ad judicem, quæritur, an ſit audiendus? Reſpondeo: E. audiendum eſſe, quia definitio arbitratorum primùm poſt 30. annos vim ſententiæ obtinet, hinc ante illos provocatio ſemper locum habet, *juxta Theſ.* 271.

CASUS DCVI.

F. 26. In circumſtantiis caſûs penultimi poſt decem dies provocat, quæritur, an provocationi locus ſit? Reſpondeo: Provocationi locum non eſſe, utpote quæ intra decem dies â laudo arbitri interponenda eſt, *juxta Theſ.* 275.

CASUS DCVII.

G. 26. Tradidit Magiſtro poſtæ 100. ducatos mittendos Coloniam, culpâ poſtæ nummi amittuntur, quæritur, an Magiſter ad damni refuſionem teneatur? Reſpondeo: Magiſtrum poſtæ ad damni refuſionem teneri vi recepti, Magiſter enim poſtæ pariter ex quaſi contractu obligatur, *juxta Theſ.* 281.

CASUS DCVIII.

H 26. Impetravit citationem coram conſilio Cæſareo Aulico 1mâ Martii contra Mevium, ſummis dicaſteriis imperii ſubjectum, quæritur, an coram Camera imperiali Mevius 2dâ Martii cauſam potuerit introducere? Reſpondeo: Mevium 2dâ Martii coram Camera imperiali cauſam introducere non potuiſſe, nam per citationem inducitur præventio, ut, ſi ab uno judice citatio parti inſinuata ſit, alter in cauſa judicare non poſſit, *juxta Theſ.* 290.

CASUS DCIX.

I. 26. Contra me I. Martii obtinuit citationem in actione rei vindicationis, quâ petit ſe fundi Tuſculani Dominum declarari, 2dâ ejuſdem intimatam, 3tiâ eundem fundum vendo Ulpiano, quæritur, an, & qualis I. declarato Domino contra Ulpianum competat actio? Reſpondeo: Contra

Ulpianum competere actionem nullitatis; nam per citationem res fit litigioſa; ita, ut alienatio interim facta nulla ſit, *juxta Theſ.* 291.

CASUS DCX.

K. 26. Conventus in judicio ex mutuo opponit ſolutionis exceptionem, judex excipienti injungit ſolutionis probationem, & in hac ſuccumbentem condemnat; quæritur, an, & qualis condemnato detur exceptio? Reſpondeo: Condemnato dari illegitimæ pertractationis ſeu nullitatis judicii exceptionem, ob omiſſam litis conteſtationem; quæ tamen eſt de judicii ſubſtantia, ita, ut hâc omiſſâ reliqui actus invalidentur, *jxta Theſ.* 295.

CASUS DCXI.

L. 26. Convenit me ex mutuo centum imperialium, ego nego intentionem actoris, qui deinde defert mihi juramentum, quòd debeam centum ex ſtipulatione, quæritur, an judex debeat me ab actione abſolvere, an verò mihi Juramenti præſtationem injungere? Reſpondeo: Judicem teneri me ab actione abſolvere, quin juramenti præſtationem mihi injungat, quia factâ litis conteſtatione libellus mutari non poteſt, *juxta theſ.* 297.

CASUS DCXII.

M. 26. Intentavit contra me actionem injuriarum, ego comparens in judicio intentionem actoris diffiteor, poſt lapſum anni actor moritur, hæres ejus proceſſum continuat, quæritur, an Judex poſſit me, intentione actoris probatâ, condemnare? Reſpondeo: judicem me condemnare poſſe probatâ actoris intentione, actiones enim lite conteſtatâ perpetuantur, & ad hæredes tranſeunt, *juxta theſ.* 297.

CASUS DCXIII.

N. 26. Pulſat me in judicio actione rei vindicatoriâ, ego eidem oppono exceptionem cautionis, judex mihi injungit litis conteſtationem, quæritur, an Judex rectè pronuntiet? Reſpondeo: Judicem rectè pronuntiare, injungendo reo eventualem litis conteſtationem, quia in caſu competentium exceptionum dilatoriarum requiritur eventualis litis conteſtatio, ut Judex colligere poſſit, an reus non temerè tales exceptiones proferat, tantùm, ut judicium differatur, *juxta theſ.* 299.

CASUS DCXIV.

O. 26 Me in fundi Tuſculani quieta poſseſsione conſtitutum turbat; ego provoco ad judicium, inſtituto interdicto *utì poſſidetis*, O. compareret confitendo actoris intentionem, & dicit ſe fundi Tuſculani Dominum eſſe, Judex actori injungit dominii probationem, quæritur, an decretum hoc legibus ſit conforme? Reſpondeo: decretum hoc legibus conforme non eſſe, quia cauſæ poſſeſsionum ante quæſtionem de proprietate finiendæ ſunt, ne ille, ad quem poſſeſsio pertinet, illâ fruſtretur, & dominii probatione gravetur, *juxta theſ. 303.*

CASUS DCXV.

P. 26. Frater meus Germanus me convenit coram judice communi noſtro patre, ego oppono exceptionem judicis ſuſpecti, quæritur, an exceptio ſit fundata? Reſpondeo: Exceptionem fundatam non eſſe, nam ſi judex actori & reo æquali gradu junctus ſit, ob hanc ſolam cauſam recuſari non poteſt, *juxta thes.* 306.

CASUS DCXVI.

Q 26. Debitor meus natus Ratisbonæ, Ingolſtadii domiciliatus à me convenitur in judicio Ratisbonenſi, quæritur, qualem mihi poſsit opponere exceptionem? Reſpondeo: debitorem mihi opponere poſſe exceptionem incompetentis judicis, quia hodie ſecus, ac de jure Romano originis domicilium forum non fundat, alibi conſtituto domicilio habitationis perpetuæ, *juxta theſ.* 309.

CASUS DCXVII.

R. 26. Dominus fundi Viennenſis me Pragæ domiciliô perpetuô fixô in judicio Pragenſi pulſat actione rei vindicatoriâ, quæritur, an forum ſit fundatum? Reſpondeo: forum fundatum eſſe, quia forum domicilii eſt generale, & conſequenter cum omnibus aliis concurrit, ita, ut etiam actiones reales, quamvis difficiliùs, coram Judice domicilii inſtitui poſsint, *juxta Theſ.* 310. *&* 311.

CASUS DCXVIII.

S. 26. à me Moguntiæ domiciliato emit mille modios frumenti Confluentiæ, & contra me Confluentiæ intentat actionem, quæritur, qualis mihi competat exceptio? Reſpondeo: mihi competere incompetentis judicis exceptionem, quia ut Judex competens ſit ex capite contractûs, neceſſe eſt, ut in locum contractûs deſtinata ſit ſolutio, *juxta theſ. 312. & 313.*

Ca-

CASUS DCXIX.

T. 26. Promiſit mihi mille Coloniæ ſolvendos 1. Maji, T. redit Romam, locum ſui domicilii, ego 2. Maji promittentem Coloniæ convenio in judicio ex ſtipulatu, quæritur, an, & qualem T. contra me habeat exceptionem? Reſpondeo: T. contra me habere incompetentis fori exceptionem, quia licèt ſolutio in locum contractûs deſtinata ſit, reus tamen in illo loco non invenitur, proindéque judex ex capite contractûs competens non eſt, *juxta Theſ.* 312. & 313.

CASUS DCXX.

V. 26. Coloniæ commiſit crimen capitale, fugit Pariſios, ibique apprehenditur, quæritur, an Judex Pariſienſis contra delinquentem ſententiam condemnatoriam ferre poſsit? Reſpondeo: Judicem Pariſienſem contra delinquentem ſententiam condemnatoriam ferre non poſſe, ſaltem de jure communi, quo apprehenſus extra forum delicti commiſſi, ad illud tanquam ad judicium competens remitti debet, licèt hodie, mutatâ jurisdictionis facie, remiſsiones ſint regulariter urbanitatis, *juxta Theſ. 317. & 318.*

CASUS DCXXI.

W. 26. Habens quinque liberos, quatuor hæredes inſtituit in legitimâ, & quintum exhæredat, *quia Patri violentas manus intulit*, quod Titius hæres ſcriptus probat, quæritur, an portio quinti quatuor ejus Fratribus accreſcat, an verò ad hæredem devolvatur? Reſpondeo: portionem quinti quatuor ejus Fratribus non accreſcere, ſed ad hæredem devolvi, legitimè enim exhæredatus partem facit, hoc eſt: cenſetur legitimam ſuam accepiſſe, hinc ne teſtator pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus decedat, exhæredati portio ad hæredem devolvitur, *juxta theſ. 325.*

CASUS DCXXII.

X. 26. Habens duos filios, utrumque exhæredat, *quia mimos ſecuti ſunt*, primus inſtituit querelam inofficioſi, ſecundus non, hæres in probatione cauſæ deficit, teſtamentum reſcinditur, quæritur, quantum primo ex hæreditate patris continente 12000 debeatur? Reſpondeo: primo competere totam Patris hæreditatem, nempe 12000. tum quòd teſtamentum reſciſſum ſit quoad totam hæredis inſtitutionem, tum quòd in querela exhæredatus partem non faciat, ſi uterque querelam habeat, & alter deficiat, deficiens enim cenſetur legitimæ ſuæ renuntiâſſe, *juxta Theſ. 327. & 328.*

CASUS DCXXIII.

Y. 26. Habens quinque filios, quatuor hæredes inſtituit in legitimâ; quintum exhæredat, *quia vitæ Patris inſidiatus eſt*, hæres ſcriptus cauſam probat, quæritur, quanta ſit quatuor filiorum legitima, ſuppoſitô, quód hæreditas 12000. imper. complectatur? Reſpondeo: Quatuor liberorum legitimam eſſe ſemiſſem, ſeu ſex millia imperial, exhæredatus enim in computatione legitimæ inſtituenda numeratur, quia licèt ex teſtamento ſuccedere non poſſit, poteſt tamen ab inteſtato, *juxta Theſ.* 329.

CASUS DCXXIV.

Z. 26. Filium hæredem inſtituit in legitimâ, dato cohærede Titio, quæritur, an, ſi in hæreditate reperiantur bona ad *1*2000. imperial. & debita ad 6000. imperial. legitima 4000. complectatur? Reſpondeo: Legitimam 4000. non complecti, ſed tantùm 2000. quia, ſi filius habeat legitimam titulo univerſali, pro rata tenetur ad æs alienum, quia tunc legitima eſt pars hæreditatis, *juxta thes.* 332 & *335.*

CASUS DCXXV.

A. 27. Ita cavit teſtamento: *Filium meum Titium hæredem inſtituô, volo autem, ut legato* 4000. *imperial. acquieſcat*, *quæritur*, an filio caſu, quo hæreditas continet 12000. & teſtator debet 2000. ſint 4000. præſtanda? Reſpondeo: filio 4000. præſtanda eſſe, quia, ſi filius legitimam habeat titulo particulari, pro rata non tenetur ad æs alienum, eò quòd tunc non obligetur ex quaſi contractu, puta hæreditatis aditione, *juxta theſ.* 331. *&* 336.

CASUS DCXXVI.

B. 27. Habens filium Titium ita ordinat teſtamentô: *Filium meum Titium prætereo, quia vitæ meæ inſidias ſtruxit, hæres autem meus eſto Sempronius*, quæritur, an, & qualem filius contra teſtamentum hoc habeat querelam, ſi hæres cauſam probare poſſit? Reſpondeo: Filium contra hoc teſtamentum habere nullitatis querelam, cùm enim liberi ab aſcendentibus lineæ paternæ neceſſariò hæredes inſtituendi, aut nominatim exhæredandi ſint, teſtamentum hoc nullum eſt, *juxta theſ.* 345.

CASUS DCXXVII.

C. 27. Contra teſtamentum matris hac formula erectum: *Hæres meus eſto Titius, filium meum C. prætereo*, inſtituit querelam inofficioſi, quæritur, an rectè? Reſpondeo: C. contra matris teſtamentum inofficioſi querelam non rectè inſtituere, hæc enim querela locum haberet, ſi teſtamento

ſtamento inſerta eſſet præteritionis cauſa, *juxta Theſ.* 346. hinc in caſu competit querela nullitatis.

C A S U S DCXXVIII.

D. 27 Teſtamentum erexit hac formula: *Titius hæres meus eſto, Cajus filius meus mihi violentas manus intulit, Mevio do lego* 1000. *ſempronio do lego* 2000. Cajus egit contra teſtamentum, & triumphavit, quæritur, an legata Mevio & Sempronio ſint præſtanda? Reſpondeo: Mevio & Sempronio legata præſtanda non eſſe, quia teſtamentô ob præteritionem, quæ non habet vim exhæredationis, nullô, etiam cætera capitula corruunt, *juxta Theſ.* 351.

C A S U S DCXXIX.

E. 27. Teſtamentum matris ſuæ hac formula conditum: *Sejus hæres meus eſto, filius meus Cajus mimos ſecutus eſt, ſempronio do lego mille, Titio duo millia, &c.* mediante querelâ expugnavit, quæritur, an legata Sempronio, & Titio debeantur? Reſpondeo: Legata Sempronio & Titio deberi, quia teſtamentô mediante querelâ inofficioſi reſciſſô, ſola hæredis inſtitutio corruit, cæteris capitulis ſalvis, eò quòd tale teſtamentum de ſummo jure valeat, de æquitate autem reſcindatur, *juxta theſ.* 350.

C A S U S DCXXX.

F 27 Hæres Mevii, cujus mater 1. Martii 1701. tale condidit teſtamentum, *Sempronius hæres meus eſto, Cajo do lego* 1000. *Sejo* 2000. contra prædictum teſtamentum 1. Martii 1729. intentat querelam, quæritur, an ſit audiendus? Reſpondeo: Mevii hæredem audiendum eſſe, quia querela nullitatis durat ad 30 annos, & ad hæredes tranſit, legata ſimiliter corruunt, eò quòd teſtamentum hoc ob præteritionem nullum ſit, *juxta theſ.* 353.

C A S U S DCXXXI.

G. 27. Proximior agnatus Mevii, 1. Maji 1701. nullô conditô teſtamentô Coloniæ mortui, contra Titium Romæ domiciliatum, & bona hæreditaria Colonienſia in qualitate hæredis poſſidentem, 1729. 1. Martii Romæ experitur, quæritur, an, & qualis reo competat exceptio? Reſpondeo: Reo exceptionem non competere, quia hæreditatis petitio datur imprimis contra poſſidentem pro hærede, modò actor probet, quæ ad actionem hanc neceſſaria ſunt *juxta Theſ.* 360. deinde actio eſt mixta, per conſequens in loco rei ſitæ intentabilis, *juxta theſ.* 374.

CASUS DCXXXII.

H. 27. Poſſeſſor hæreditatis ad me devolutæ à me pulſatur in judicio 1. Febr. 1730. & reſpondet ad libellum, deinde 1731. 1mâ Auguſti fructus percipit, & 2dâ ejusdem contra illum fertur ſententia ad hæreditatis deoccupationem, unà cum fructibus, quæritur, an fructus, 1. Aug. perceptos teneatur reſtituere? Reſpondeo: illum teneri fructus 1. Aug percep- tos reſtituere, quia ſi bonæ fidei poſſeſſor tempore rei judicatæ locupletior inveniatur, ſpectandum eſt rei judicatæ tempus, *juxta Theſ.* 376.

CASUS DCXXXIII.

I. 27. Secundâ Jan. 1730. à me pulſatur petitione hæreditatis, fructus ex hæreditate mea perceptos ſecundâ Aug. omnimodè conſumit, quæritur, an in hos fructus poſsit condemnari? Reſpondeo: I. in hos fructus condemnari non poſſe, nam bonæ fidei poſſeſſor non tenetur de fructibus, quos ante litis conteſtationem conſumpſit, niſi locupletior factus ſit, *juxta Theſ.* 377. at verò ſi fructus ſupponantur conſumpti poſt litem conteſtatam, etiam in hos eſt condemnandus.

CASUS DCXXXIV.

K. 27. Fructus ex hæreditate ad me devolutâ perceptos, 2. Martii 1730. donat Mevio, 3tia Martii ego illum convenio petitione hæreditatis, 4tâ Martii idem K. litem conteſtatur, ſecundâ Maji Mevius reo convento reciprocè & remuneratoriè donat mille, quæritur, an reus quoque in hos mille poſsit condemnari? Reſpondeo: reum quoque in hos mille condemnari poſſe, quia bonæ fidei poſſeſſor ſimiliter præſtat fructus, ex quibus tempore rei judicatæ reperitur locupletior factus, *juxta Theſ.* 377.

CASUS DCXXXV.

L. 27. Perceptis ex hæreditate alienâ fructibus pepercit, & habitos ex proprio patrimonio plenè conſumpſit, quæritur, an L. conventus petitione hæreditatis etiam in fructus poſsit condemnari? Reſpondeo: L. conventum petitione hæreditatis in fructus condemnari poſſe, quia etiam locupletior factus cenſetur, qui pauperior factus non eſt, *juxta Theſ.* 379.

CASUS DCXXXVI.

M. 27. Pulſat me in judicio, & petit ſe dominium fundi Tuſculani à me poſſeſsi declarari, lite per me negativè conteſtatâ, Judex 1. Martii 1730. injungit actori allegati dominii probationem, M. in probatione ſuccumbit, & fundum à vero Domino emit, quæritur, an pro M. ſit pronuntiandum? Reſpondeo: pro M. pronuntiandum non eſſe,

actor

actor enim in probatione dominii, ante litem conteſtatam prætenſi, deficiens non poteſt ſperare victoriam in eodem judicio ex capite dominii ſuperventi, *juxta Theſ.* 399.

CASUS DCXXXVII.

N. 27. Poſſeſſor fundi mei Tuſculani cum ignorantia rei alienæ heri ex eodem fructus percepit, illos hodie vendit, & cras à me convenitur rei vindicatoriâ, quæritur, an N. etiam in fructus condemnandus ſit? Reſpondeo: N. etiam in fructus condemnandum eſſe, quia bonæ fidei poſſeſſor in hoc judicio tenetur ad fructuum reſtitutionem, quatenus eſt factus locupletior, *juxta Theſ.* 401.

CASUS DCXXXVIII.

O. 27. Secundâ Auguſti ex fundo Titii fructus percepit, 3tiâ Auguſti convenitur in judicio à Titio, petente ſe Dominum fundi declarari, O. negat actorem Dominum eſſe, & probato per actorem dominio Judex reum ad deoccupationem unà cum fructibus perceptis condemnat, quæritur, an ſententia ſit legibus conſona? Reſpondeo: ſententiam de jure hodierno, ſecus ac Romano legibus conſonam eſſe, quia de moribus hodiernis Judex de omnibus fructibus qualicunque demum tempore perceptis pronuntiare poteſt, *juxta Theſ.* 404.

CASUS DCXXXIX.

P. 27. Poſſeſſor bonæ fidei prædii Tuſculani expenſas fecit in tecti reparationem, conventus actione rei vindicatoriâ, & condemnatus prædium deoccupavit, factâ deoccupatione actionem contra triumphantem intentat ad expenſarum recuperationem, quæritur, an ſit audiendus? Reſpondeo: P. bonæ fidei poſſeſſorem audiendum eſſe, quia de æquitate juris hodierni tali poſſeſſori conceditur condictio, ſeu repetitio, aut etiam rei detentio, maximè ſi expenſas neceſſarias fecerit, *juxta Theſ* 406.

CASUS DCXL.

Q. 27. Poſſedit fundum meum bonâ fide, & titulo ad dominium transferendum habili, me præſente, per annos decem, undecimo anno convenio Q. & peto me Dominum fundi declarari, quæritur, qualis reo convento competat exceptio? Reſpondeo: reo convento competere exceptionem præſcriptionis, rei vindicatio enim præſcribitur ordinario tempore, nempe per decem annos inter præſentes, & viginti inter abſentes, *juxta Theſ.* 407.

CASUS DCXLI.

R. 27. Fundum meum Tuſculanum emit à Mevio bonâ fide 30. Martii 1730. & ejusdem poſſeſsionem acquiſivit, & 31. hanc caſu amiſit, 1. Aprilis experitur fundum à non Domino acceptum eſſe, 2da contra Mevium, nullo titulo poſsidentem, intentat actionem, quæritur, quâ exceptione actor poſsit repelli? Reſpondeo: actorem exceptione incompetentis actionis repelli poſſe, quia actio publiciana non tantùm requirit bonam fidem tempore accepti tituli & traditionis factæ, ſed etiam tempore inſtituendi judicii, uti patet ex fine hujus actionis, *juxta Theſ.* 410

CASUS DCXLII.

S. 27. *1.* Julii 1731. emit fundum Tuſculanum â me, 2dâ Julii eundem Tuſculanum â me emit Mevius, quæritur, an fundo Mevio tradito, & poſſeſſione caſu ad Sempronium perventâ, Mevius, an veró S. poſſit contra Sempronium actione experiri? Reſpondeo: Mevium contra Sempronium actione Publicianâ experiri poſſe, quia ex pluribus emptoribus illi competit Publiciana contra tertium infirmiore jure poſſidentem, cui res priùs tradita eſt, licèt alter priùs emerit, quippe talis mediante traditione quaſi dominium acquiſivit, *juxta theſ.* 414.

CASUS DCXLIII.

T. 27. Fundum Cornelianum titulo donationis 1. Auguſti acquiſitum poſſidet à non Domino, 22. Auguſti poſſeſſio ejuſdem fundi, titulo emptionis ab eodem non Domino quæſita, pervenit ad Mevium, & 3. 7bris titulo ceſſionis ad Cajum, quæritur, an, & quali T. aut Mevius contra Cajum poſſit actione agere? Reſpondeo: Neque T. neque Mevium actione Publicianâ contra Cajum agere poſſe, quippe contra tertium æquè firmo jure poſſidentem actio hæc non datur, eò quòd tunc melior ſit conditio poſſidentis, *juxta Theſ.* 415.

CASUS DCXLIV.

V. 27. Poſſeſſor fundi Emphyteutici illimitati, annuatim proferentis 100. modios frumenti erga præſtationem annuorum imperialium decem, convenitur à Mevio hujus præſtationis creditore, ad præſtandos viginti imperiales annuatim, ex capite, quòd fundus per receſſum fluminis ſit auctus, quæritur, an actio locum habeat? Reſpondeo: Actionem locum non habere, quia canon non augetur aucto fundo, cùm proportionatus non ſit fructibus, ſed tantùm ſolvatur in recognitionem dominii ſuperioris, *juxta theſ.* 420.

Ca-

CASUS DCXLV.

W. 27. à Mevio in mox præmiſſis circumſtantiis convenitur ad præſtandos decem imperiales annuos, W. excipit ſe nullos hoc anno fructus habuiſſe, quæritur, an exceptio ſit legitima? Reſpondeo: Exceptionem legitimam non eſſe, quia canon in contractu emphyteutico ob mox allegatam rationem nec propter ſterilitatem, nec alios caſus fortuitos remittitur, *juxta theſ.* 421.

CASUS DCXLVI.

X. 27. Legatarius uſus fructûs fundi Tuſculani, aditâ per hæredem ſcriptum hæreditate 1. Martii, in eiuſdem exercitio 2da Martii à Mevio turbatus, contra eundem intentat actionem confeſſoriam, quæritur, an actio ſit fundata? Reſpondeo: Actionem fundatam eſſe, quia legatario uſus fructûs ante *quaſi traditionem* datur actio confeſſoria contra quemcunque turbatorem, *juxtà theſ.* 433.

CASUS DCXLVII.

Y 27. mihi fundi Corneliani fructuario fructus ſtantes furto aufert, ego contra Y. inſtituo condictionem furtivam, quæſtio eſt, an actio contra Y. locum habeat, aut quæ reo convento competat exceptio? Reſpondeo: Actionem contra Y. locum habere de praxi, qua ſaltem ad hunc effectum fructus habentur pro perceptis, proindéque fructuarius ipſe contra furem condictionem furtivam inſtituere poteſt, *juxta Theſ.* 445.

CASUS DCXLVIII.

Z. 27. Fundi mihi in uſum fructum conceſſi proprietarius in eodem me conſentiente conſtituit prædio vicino ſervitutem prædialem, Dominus prædii vicini contra me, exercitium ſervitutis impedientem, intentat confeſſoriam, quæritur, an actio poſſit intentari? Reſpondeo: Actionem de jure hodierno, ſecus ac Romano, intentari poſſe, quia hodie neglectâ juris Romani ſubtilitate non ad verborum corticem, ſed ad fidem datam attenditur, *juxta theſ.* 442.

CASUS DCXLIX.

A. 28. Habens duo prædia, Titio hærede inſtituto, unius uſum fructum mihi eâ lege legavit, ut prædium fructuarium alteri prædio hæreditario ſervitutem tigni immittendi præſtet, ego contra hæredem ago ad præſtandam

prædii legati proprietatem ſeu potius uſumfructum cauſalem, quæritur, an actio mea locum habeat? Reſpondeo: Actionem meam de hodiernis moribus, ſecus ac Romanis, locum non habere; quia legatarius ſolummodo obligationem perſonalem in hoc caſu contraxit, proindeque ſolus uſus fructus, excluſâ proprietate, legatus cenſetur; *juxta theſ.* 447.

CASUS DCL.

B. 28. Mevio & Cajo uſum fructum domûs ſempronianæ legavit; Mevius portionem ſuam amittit, Cajus ſuam repudiat; quæritur, an Caji portio ad hæredem ſcriptum devolvatur? Reſpondeo: Caji portionem ad hæredem ſcriptum non devolvi, parte enim uſus fructus per unum collegatarium amiſſâ, portio alterius deficientiis non hæredi, ſed alteri collegatario accreſcit, *juxta thes.* 447.

CASUS DCLI.

C. 28. Mevio cœlibi legavit uſum ſylvæ cæduæ; Mevius matrimonium iniit, & liberos nanciſcitur, quæritur, an uſus etiam ad liberorum neceſsitatem extendatur? Reſpondeo: uſum quoque ad liberorum neceſsitatem extendi, uſus quippe augetur auctâ familiâ, quia tunc uſuarius plùs indiget ad neceſsitatem quotidianam, *juxta Theſ.* 458.

CASUS DCLII.

D. 28. Romæ domiciliatus promiſit mihi ſtipulatò domum ſuam Colonienſem in tabernæ meæ utilitatem altiùs tollere, domo collapſâ intento contra illum actionem Coloniæ; quæritur, an, & quâ exceptione reo ſit ſuccurrendum? Reſpondeo: reo de jure hodierno, ſecus ac Romano, exceptione ſuccurrendum non eſſe, quia hodie ſervitutes, licèt in faciendo conſiſtentes, ſimiliter prædialibus annumerantur, & conſequenter actionem realem, in loco rei ſitæ intentandam, producunt, *juxta Theſ.* 469.

CASUS DCLIII.

E. 28. Pariſienſis, habens hortum Colonienſem, mihi in teſtamento legat Jus per eundem deambulandi; hæres quoque Pariſienſis mihi aditum ad hortum negat, ego inſtituo actionem Coloniæ; quæritur, an reus me poſsit exceptione incompetentiæ repellere? Reſpondeo: reum me de jure hodierno exceptione incompetentiæ repellere non poſſe, quia in foro hodierno, inattentis juris Romani ſubtilitatibus, etiam voluptatis causâ ſervitus conſtitui poteſt, ſaltem in ordine ad producendam actionem realem, ſeu confeſſoriam, *juxta Theſ.* 470.

CASUS DCLIV.

F. 28. Aquam pluviam ex ſuo tecto in meam aream avertit, ego contra F. inſtituo actionem confeſſoriam, quæritur, an actio ſit fundata? Reſpondeo: actionem fundatam non eſſe, ſed negatoriam, licèt enim jus ſtillicidii avertendi vera ſervitus ſit, & hinc in caſu ſtillicidii conſtituti actio confeſſoria rectè intentetur, *juxta theſ.* 478. attamen in caſu libertatem prædii tantùm conſervare intendo.

CASUS DCLV.

G. 28. Jus habet ex meo puteo per tubum aquam in ſuum fundum ducendi, & hoc jure per decem annos inter præſentes non utitur, quæritur, an G. Servitutem amiſerit? Reſpondeo: G. ſervitutem non amiſiſſe, ſervitus enim aquam per tubos ducendi urbanis adſcribitur, éſtque qualificata, ad cujus amiſsionem non ſufficit ſolus non uſus, ſed præterea neceſſaria eſt veſtigii deſtructio, *juxta Theſ.* 480. & 488.

CASUS DCLVI.

H. 28. Membrum Communitatis in paſcuo publico oves ſuas paſcit, prohibetur à Communitate, quæritur, qua actione H poſsit contra eandem experiri? Reſpondeo: H. contra eandem actione confeſſoriâ experiri non poſſe, nam in locis publicis pecora non jure ſervitutis, ſed univerſitatis paſcuntur, *juxta Theſ. 480.*

CASUS DCLVII.

J. 28. Furioſum ſuæ cuſtodiæ commiſſum negligentiùs cuſtodivit, & damnum meæ pecudi dedit, experior contra I. actione de pauperie, quæritur, an actioni locus ſit? Reſpondeo: actioni locum non eſſe, quia pauperiei nomine non venit damnum à furioſo datum, *juxta* Theſ. 492.

CASUS DCLVIII.

K. 28. Pulſat me actione quadrupedariâ, & ita concludit: *peto animal noxium noxæ dari*, quæritur, an libellus ſit ritè conceptus? Reſpondeo: libellum ritè conceptum eſſe, quia concluſio actionis de pauperie neceſſariò alternativa eſſe non debet, ita, ut & hodie electioni locus ſit, cùm æſtimatio non ſit in obligatione, ſed tantùm in præſtatione, *juxta* Theſ. *499.* & *500.*

CASUS DCLIX.

L. 28. Habet animal manſuetum, valens 50. recalcitrationibus aſſuetum, quòd equum meum, valentem 100. ducatis, damnificat, L. à me

in judicio convenitur, quæritur, an noxæ deditione liberetur? Reſpondeo: L. noxæ deditione non liberari, nam ſi dominus vitii gnarus ſit, & beſtiam, licèt manſuetam, retinuerit, culpæ reus eſt, & hinc noxæ deditione minimè liberandus, ſed pœnâ extraordinariâ afficiendus, *juxta theſ.* 501.

C A S U S DCLX.

M. 28. Depoſuit apud me equum, ego ſequendo exemplum aliorum diligentium patrum F. equum ago in paſcua, nullo cuſtode conſtituto, & per furtum amitto, quæritur, an, & quali actione ſim convenibilis? Reſpondeo: Me actione legis aquiliæ convenibilem eſſe, quia etiam minima negligentia omiſſionis actioni huic locum dat, modò omiſſionem aliquod factum præceſſerit; deinde actio legis aquiliæ non excluditur per actionem ex contractu deſcendentem, *juxta theſ.* 506. & 507.

C A S U S DCLXI.

N. 28. Orto in ædibus A. incendio, domum C. deſtruit, quæritur, an eodem in domo B. extincto, N. aliquâ, & quali actione teneatur? Reſpondeo: N. actione legis aquiliæ non teneri, quia qui incendii arcendi gratiâ vicinas ædes deſtruit, non tenetur hâc actione, licèt ignis eò non pervenerit, *juxta Theſ.* 508.

C A S U S DCLXII.

O. 28. Inhabitator domûs Tuſculanæ, ob factum dejectionis à Mevio in plateam publicam perpetratum, pulſatur in judicio, quæritur, an, & quali exceptione ſit tutus? Reſpondeo: O exceptione incompetentis actionis tutum eſſe, hodie enim regulariter inhabitator abſolvitur, ſi de dejiciente conſtat, *juxta Theſ.* 513.

C A S U S DCLXIII.

P. 28. Pariſiis domiciliatus prædium poſſidet Colonienſe, ego habens prædium vicinum, intento Coloniæ actionem *finium regundorum*, quæritur, an forum ſit fundatum? Reſpondeo: Forum fundatum eſſe, quia actio *finium regundorum* mixta eſt, deſcendens partim ex jure in re, partim ex jure ad rem, *juxta theſ.* 518.

C A S U S DCLXIV.

Q. 28. Finibus 2dâ Januarii 1700. Inter prædium ſuum & vicinum confuſis, intentat actionem *finium regundorum* 2dâ Januarii 1732. contra

tra vicinum, quæritur, an, & qualis actori poſſit opponi exceptio? Reſpondeo: Actori præſcriptæ actionis exceptionem opponi poſſe, ex eo, quòd actio *finium regundorum*, tanquam mixta, & conſequenter ſimul perſonalis, ſpatio 30. annorum tantùm præſcribatur, *juxta Theſ.* 522.

C A S U S DCLXV.

R. 28 Res hæreditarias poſſidens, contra me reliqua corpora hæreditaria poſſidentem, agit ad hæreditatis diviſionem, ego nego actorem meum cohæredem eſſe, quæritur, an, & quali exceptione actorem poſſim repellere? Reſpondeo: Actorem exceptione à me repelli non poſſe, nam ſi provocans quoque ſit in poſſeſſione, ob præſumptionem pro poſſeſſione militantem exceptio excluditur, *juxta theſ.* 528.

C A S U S DCLXVI.

S. 28. â me actione familiæ herciſcundæ pulſatus, & rejectâ exceptione: *Me ad collationem teneri*, per ſententiam eſt condemnatus, quæritur, an diviſione inſtituta S. audiendus ſit in probatione, me eſſe hæredem putativum? Reſpondeo: S. audiendum non eſſe in probatione, me hæredem putavium eſſe, quia, ſi provocatus non neget provocantem hæredem eſſe, poſt ſententiam in rem judicatam prolapſam nequidem contra hæredem putativum, factâ diviſione, datur repetitio, *juxta Theſ.* 530.

C A S U S DCLXVII.

T. 28. Hæreditatem continentem 20. prædia, valentia 20000. Imper., & pratum, valens quinque, mecum ſuo cohærede diviſit, addiviſis mihi prædiis decem, valentibus 10000. quæritur, an, & quale ego contra hanc diviſionem habeam remedium? Reſpondeo: me contra hanc diviſionem habere remedium reſciſsionis, quia diviſio hæreditatis reſcinditur ob læſionem quoque minimam, ſi contigerit circa ipſas res dividendas, nimirùm retentione rei qualiſcunque, *juxta Theſ.* 536. *&* 537.

C A S U S DCLXVIII.

V. 28. Secundâ Martii 1700. conſecutus eſt legatum mihi commune, 1732. 16. April. inſtituo contra illum actionem de communi dividundo, quæritur, an, & quali exceptione tutus ſit? reſpondeo: V. exceptione præſcriptæ actionis tutum non eſſe, actioni enim de communi dividundo ſpatio triginta annorum præſcribitur, poſtquam ad diviſionem provocatum eſt, *juxta theſ.* 542. Secus autem, ſi neutra pars ante 30. annos ad diviſionem provocâſſet.

CASUS. DCLXIX.

W. 28. Poſſeſſor fundi Tuſculani à me convenitur actione interrogatoriâ, ut titulum ſuæ poſſeſsionis edat, quæritur, an ad tituli editionem ſit compellendus? Reſpondeo: W. ad tituli editionem compellendum non eſſe, hodie enim actio hæc ab uſu receſsit *juxta theſ* 545. niſi quòd in caſu petitionis hæreditatis interrogationes etiam in ordine ad titulum edendum hodie adhuc vigeant.

CASUS DCLXX.

X. 28. Cohæres meus & poſſeſſor bonorum hæreditariorum Colonienſium, Trevirenſium, & Juliacenſium detrectat me ad diviſionem admittere, quæritur, ubi actio familiæ herciscundæ debeat & poſsit intentari? Reſpondeo: actionem familiæ herciscundæ coram judice immediatè ſuperiori, nimirum Conſilio Cæſareo aulico, aut Imperiali Camerâ intentandam eſſe, ratio eſt continentia cauſarum, qua plures, diverſis judicibus ſubjecti, coram ſuperiori judice conveniri poſſunt, *juxta theſ.* 551.

CASUS DCLXXI.

Y. 28. Anno 1660. mutuavit mihi 500. imper. in variis duris ſpeciebus, quolibet ad 30. groſſos computatô, quæritur, an, auctô hodie duri Imperialis valore ad groſſos 40. defungar reſtituendo 400. aut pro quolibet groſſos 30.? Reſpondeo: me non defungi reſtituendo 400. aut pro quolibet Imperiali 30. groſſos, quia non tantundem reſtituerem materiæ ſeu argenti, nec tantundem in valore extrinſeco, ſaltem relato ad merces, ob deteriorationem materiæ pecuniæ minutioris, *juxta Theſ. 565. & 566.*

CASUS DCLXXII.

Z. 28. Accepit à me mutuum nummum in valore intrinſeco 15. at in extrinſeco, tempore contractûs, 20. groſsis valentem, quæritur, an, Nummô tempore reſtitutionis ad 15. Groſſos reductô, Z. defungatur mihi ſimilem nummum reſtituendo, aut an teneatur 5. Groſſos ſuperaddere? Reſpondeo: Z. defungi mihi ſimilem nummum reſtituendo, quin teneatur 5. Groſſos ſuperaddere, ratio eſt, quòd aliàs debitor plus reſtitueret, quàm à debitore accepiſſet, quod mutui naturæ repugnat, *juxta Theſ.* 567.

CASUS DCLXXIII.

A. 29. Dedit mihi mutuos 100. Ducatos adulterinos, in valore ad tres florenos Rhenenſes currentes, tempore ſolutionis reprobatos, quæritur?

ritur; an teneat reſtituere tantundem in eâdem bonitate in- & extrinſeca? Reſpondeo: me non teneri reſtituere tantundem in eâdem bonitate in-& extrinſeca; quia tantundem reſtituendo creditor plus à me reciperet, quàm expoſuiſſet; *juxta Theſ.* 570. Si nimirum hi ducati nullum uſum debitori præſtiterint.

C A S U S DCLXXIV.

B. 29. Anno 1660. accepit à me mutuum ducatum valentem 2. Imper. quolibet ad 30. Groſſos computatô; quæritur; an ſatisfaciat hodie reſtituendo Groſſos 60.? Reſpondeo: B. non ſatisfacere reſtituendo 60. Groſſos; quia nummis in ſpecie mutuatis; ſi aut non amplius exſtent, aut difficilius haberi poſsint; debitor tenetur reſtituere æſtimationem eorundem; juxta bonitatem intrinſecam temporis contractûs; determinandam; *juxta theſ 571.*

C A S U S DCLXXV.

C. 29. Conſulibus & Senatui Ratisbonenſis Civitatis 10000. Imper. dedit mutuos; quæritur; quænam Civitati conventæ detur exceptio? Reſpondeo: Civitati conventæ exceptionem non competere; ſi Civitas communi civium conſenſu proprio nomine mutuum acceperit; etiamſi verſio non probetur; *juxta theſ.* 578. Aliàs creditor verſionem in rem Civitatis probare tenetur.

C A S U S DCLXXVI.

D. 29. Hæredem inſtituit Mevium; mihi legatô relictô; tranſegi cum Mevio ad 500. juramento adjecto; quæritur, an; conſtito poſtmodum relictos mihi eſſe 1000. poſsim contra tranſactionem; & quali remedio agere? Reſpondeo: me contra tranſactionem agere non poſſe; ſi cauſa ſit dubia, tranſactio enim ſuper relictis per teſtamentum in cauſâ dubiâ, tabulis non inſpectis, inita; & juramento confirmatâ; valida eſt de jure Canonico; *juxta Theſ.* 582.

C A S U S DCLXXVII.

E. 29. Renuntiavit hæreditati paternæ in favorem Titii juratô, quæritur qualis Titio, petitione hæreditatis agenti, opponi poſsit exceptio? Reſpondeo: Titio; petitione hæreditatis agenti, exceptionem opponi non poſſe, quia pactum futuræ hæreditatis renuntiatorium valet; ſi juramento convalidetur; *juxta Theſ.* 583.

CASUS DCLXXVIII.

F. 29. Donavit mihi mille ducatos juratò,& renuit donatum præſtare, quæritur, an habeam contra donatorem actionem? Reſpondeo: Me contra donatorem habere actionem, quia donatio,excedens ſummam 500. ſolidorum ob defectum inſinuationis invalida, juramento vallata ſubſiſtit, *juxta theſ.* 584.

CASUS DCLXXIX.

G 29. Detulit mihi juramentum calumniæ quòd eidem debeam mille ex mutuo, mando Procuratori meo juramenti præſtationem, quæritur, an Procurator pro me jurare poſſit? Reſpondeo: Procuratorem pro me jurare poſſe? hodie enim extra dubium eſt, quòd Procurator, ſpeciali mandatô inſtructus, in animam principalis præſtare poſſit calumniæ juramentum, *juxta Theſ.* 587.

CASUS DCLXXX.

H. 29. Intentione ſuâ per unum teſtem in judicio probatâ, oblatô juramentô ſuppletoriô, moritur, relicto hærede, quæritur, an hæres hoc juramentum ejurare poſſit? Reſpondeo: Hæredem juramentum hoc juxta probabilem ſententiam ejurare poſſe, nam in caſu ſemiplenæ probationis locus eſt juramento ſuppletorio, *juxta Theſ.* 590. Licèt alii ſuſtineant contrarium.

CASUS DCLXXXI.

I. 29. Delatum juramentum litis deciſorium: Sibi à me deberi mille, præſtitit, ego produco inſtrumentum mille petitos ſolutos eſſe,quæritur,an ſim audiendus? Reſpondeo: Me de praxi audiendum eſſe, ob æquitatem enim non ampliùs tanta eſt juramenti authoritas, ſicuti Romanis temporibus, *juxta Theſ.* 597.

CASUS DCLXXXII.

K. 29. Detulit mihi juramentum: ſi mihi debeantur mille,juramentum accepto & paratus illud præſtare,morior, quæritur, an K. ad inſtantiam mei hæredis ſit condemnandus? Reſpondeo: K. ad inſtantiam mei hæredis condemnandum eſſe, nam mors vim juramenti eo caſu habet, quò juramentum à parte delatum, & ab altera parte acceptatum reperitur, *juxta Theſ.* 598.

CA-

CASUS DCLXXXIII.

L 29. Dolo corrupit equum meum, in communi æſtimatione valentem 100. in meâ autem 200. quæritur, an juramento in litem mediante 100. an 200. ſim conſecuturus? Reſpondeo: me 200 conſecuturum eſſe, quia in caſu commiſſi doli regulariter locus eſt juramento affectionis ad pretium particulare conſequendum, *juxta Theſ.* 600.

CASUS DCLXXXIV.

M 29. Dedit mihi equum, ut viciſſim dem fundum, quæritur, an, & quam contra M. dare detrectantem ad viciſſim dandum habeam actionem? Reſpondeo: Me contra M. ad viciſſim dandum habere actionem *præſcriptis verbis* aut ad contractûs implementum, aut intereſſe, nam hodie in contractibus innominatis ne quidem ante implementum pœnitere licet, *juxta* Theſ. 604. & 605.

CASUS DCLXXXV.

N 29. Dedit Advocato pecuniam, ut ſuum adverſarium in judicio convitiis proſcindat, Advocatus renuit promiſſum adimplere, quæritur, an, & qualis contra Advocatum detur actio? Reſpondeo: contra Advocatum intentari non poſſe condictionem ob turpem cauſam, utpote ad quam requiritur in ſpecie, ut turpitudo ſit ex parte ſolius accipientis, *juxta theſ.* 610. & 611.

CASUS DCLXXXVI.

O 29. Dedit tibi mille, ne homicidium committeres, quæritur, an, & qualem O. contra te habeat actionem? reſpondeo: O contra te habere condictionem ob turpem cauſam, quia turpitudo in hoc caſu eſt reſpectu ſolius accipientis, *juxta Theſ.* 608. & 610.

CASUS DCLXXXVII.

P. 29. Minor ex ſolutis omnibus legatis, falcidiâ ne quidem ſalvâ contra aditionem hæreditatis in integrum reſtituitur, quæritur, an, & qua actione hæres ab inteſtato legata poſſit recuperare? Reſpondeo: Hæredem ab inteſtato legata condictione indebiti recuperare poſſe, nam uno per errorem ſolvente alius habet, indebiti condictionem, *juxta theſ.* 614.

CASUS. DCLXXXVIII.

Q. 29. Metu per te adactus promiſit tibi 1000. & ſolvit, quæritur, quam

Q. contra te habeat actionem? Reſpondeo: condictionem indebiti, indebitum enim naturaliter, licèt civiliter debeatur, repeti poteſt, *juxta theſ. 618.*

CASUS DCLXXXIX.

R. 29. Mulier pro marito in inſtrumento publico fidejuſsit, eodemque excuſſo debitum exſolvit, quæritur, an, & qualem mulier contra creditorem habeat actionem? Reſpondeo: mulierem contra creditorem habere actionem indebiti, quippe mulier, quæ contra SCtum vellejanum intercesſit, licèt etiam foret naturaliter obligata, ſolutum repetere poteſt, cùm obligatio hæc in totum à jure reprobetur, *juxta Theſ.* 626.

CASUS DCXC.

S 29. Errore facti deceptus ſolvit mihi mille, quos ſcivi mihi non deberi, quæritur, an S. contra me condictione indebiti agere poſsit? Reſpondeo: S. contra me condictione indebiti agere non poſſe, quia condictio hæc præter errorem facti in ſolvente requirit quoque bonam fidem ex parte accipientis, *juxta Theſ.* 623.

CASUS DCXCI.

T. 29. Aurifaber annulum meum per furtum amiſit, & pretium mihi refundit, quæritur, an, & qualem aurifaber, annulo per me à fure recuperato, contra me habeat actionem? Reſpondeo: aurifabrum habere contra me condictionem ſine cauſa, eò quòd cauſa, quæ ab initio ſubfuit, ex poſt facto ad non cauſam redierit, *juxta theſ. 625. & 627.*

CASUS DCXCII.

V. 29. Commodatarius Bucephali, furto à Mevio ablati, contra hunc inſtituit condictionem furtivam, quæritur, an, & qualem Mevius poſſit actori opponere exceptionem? Reſpondeo: Mevium actori opponere poſſe incompetentiam condictionis furtivæ contra ſe inſtitutæ, utpote quæ condictio requirit ex parte actoris dominium vel ſaltem bonæ fidei poſſeſsionem, *juxta Theſ. 630.*

CASUS DCXCIII.

W. 29. Furatus eſt mihi 1000. ego intento contra illius hæredem condictionem furtivam, hæres producit inventarium, mediante quo probat ſe ex hæreditate furis defuncti tantùm conſecutum eſſe 500. quæritur, an Judex reum poſsit tantùm in 500 an verò in 1000. condemnare? Reſpondeo: judicem debere reum in 1000. condemnare, quia condictio furtiva datur contra hæredes in ſolidum, non tantùm, quatenus pervenit, *juxta theſ. 632.*

CA-

CASUS DCXCIV.

X. 29 Debet mihi ex cambio mille, ego convenio illum actione ex contractu, qu ritur, an mea actio de rigore juris ſit fundata? Reſpondeo: actionem meam de rigore juris fundatam eſſe, ſuppoſito enim contractu, licèt novo, non datur ex lege condictio, ſed actio ex ipſo negotio deſcendens, *juxta Theſ.* 636.

CASUS DCXCV.

Y. 29. Stipulatò promiſit mihi 1000. modios frumenti 1. Septembris præſtandos, 1mâ prædictâ modius valet 5., 2dâ convenio debitorem in judicio, quâ valet 3., quæritur, quomodo Judex modium æſtimare debeat? Reſpondeo: judicem 5. æſtimare debere modium, æſtimatio enim regulariter ejus temporis inſpicitur, quo dari debuit, *juxta Theſ.* 643.

CASUS DCXCVI.

Z. 29. Coloniæ domiciliatus promiſit mihi Romæ 1. Junii ſolvere 1000, cùm non ſolveret, Cambium emi 1100. ut meo creditori ſatisfacerem, convenio promittentem Coloniæ in 1100, quæritur, an mea actio ſit fundata? Reſpondeo: meam actionem fundatam eſſe, condictio enim *quod certo loco* tendit ad obtinendum in alio loco convenienti, quod in promiſſo ſolutum non eſt, locus autem conveniens eſt forum domicilii habitationis, *juxta theſ.* 648.

CASUS DCXCVII.

A. 30. Debet ex nudo pacto equum Germanicum, conſtituit ſe præſtiturum Anglicum, quæritur, qualis actio locum habeat, & cum quo effectu? Reſpondeo: condictionem de conſtituta pecunia locum habere ad conſequendum equum Anglicum, condictio enim hæc adhuc hodie locum habet, ſi quis aliud conſtituit, quàm quod debet, *juxta Theſ. 652.*

CASUS DCXCVIII.

B. 30. Tibi & mihi commodavit vehiculum, tu eodem uteris die 1mâ, & ego alterâ, qua, quòd janua, ubi cuſtoditur, clathris non ſit munita, furto aufertur, B. contra te inſtituit actionem commodati directam ad vehiculi reſtitutionem, quæritur, an, & qualis tibi competat exceptio? Reſpondeo: Tibi competere exceptionem diviſionis, nam ſi res pluribus in

ſolidum commodetur,tenentur quidem in ſolidum non tantùm quoad culpæ præſtationem,ſed etiam qnoad rei reſtitutionem,ita tamen, ut diviſionis beneficium in ſolidum convento competat, maximè ſi res commodata indiviſibilis ſit, *juxta Theſ.* 657. & 658.

CASUS DCXCIX.

C. 30. Poculum aureum mihi pro ſecuritate crediti mei tradidit,ego,1mâ Martii hoc poculum commodo Sempronio, C. 1. Aprilis mihi ſolvit debitum, & deinde contra Sempronium inſtituit actionem pignoratitiam,quæritur, an,& qualem Sempronius habeat exceptionem? Reſpondeo: Sempronium habere incompetentis pignoratitiæ exceptionem, cùm enim actio hæc perſonalis ſit, perſonæ adhæret, & contra tertium non datur, licèt per debitorem ſolutô debitô pignus à tertio vindicari poſſit, tò *vindicari* enim potius rei vindicationem, quàm pignoratitiam actionem denotat, *juxta Theſ. 666.*

CASUS DCC.

D. 30. 2dâ Januarii 1700. mihi pro ſecuritate crediti mei tradidit catenam auream,morior 3tiâ Januarii, hæres meus bonâ fide catenam poſſidet, tanquam ſuam,1732. 2dâ Januarii D. offert debitum, aut ſolvit, & contra hæredem meum intentat pignoratitiam,quæritur an, & qualem hæres meus habeat exceptionem? Reſpondeo: Hæredem meum exceptionem non habere,præſcriptio enim contra actionem pignoratitiam, ob nondum exſolutum debitum natam,locum non habet, deinde juri luendi pignoris nullo unquam tempore præſcribitur, *juxta theſ.* 668. & 669.

CASUS DCCI.

E. 30. 2. Martii 1700. in pignus mihi dedit adamantem, 3tiâ ejuſdem 1701. E. mihi debitum ſolvit, morior 4tâ, hæres meus poſſidet adamantem titulô pro hærede, *1732. 5tâ* Martii E. inſtituit contra hæredem meum pignoratitiam, quæritur, an, & quali exceptione hæres meus uti poſſit? Reſpondeo: Hæredem meum exceptione præſcriptæ actionis uti poſſe, quia pignoratitiæ actioni, per ſatisfactionem jam tum natæ, tempore juridicè perpetuo præſcribitur, *juxta* T*heſ 670.*

CASUS DCCII.

F. 30. Emit à Mevio Magiſtro, à me navi præfecto, 100. modios frumenti, intentat contra eundem actionem empti ad mercem emptam erga pretium conventum tradendam, quæritur an, & qualis Mevio competat exceptio? Reſpondeo: Mevio exceptionem non competere, quia contrahens

hens cum magiſtro contra hunc quoque agere poteſt actione directâ ex celebrato contractu deſcendente, non quidem, ut ex propriis, ſed Domini bonis ſolvat, *juxta theſ.* 678. & 679.

CASUS DCCIII.

G. 30. Præpoſitus â te & me navi communi magiſter, vendidit Sempronio 1000. pondo plumbi, Sempronius te in judicio pulſat ad plumbi traditionem, quæritur, an, & qualis tibi competat exceptio? reſpondeo: Tibi exceptionem non competere, eò quòd plures navis exercitores ex contractu magiſtri, ob favorem navigationis in ſolidum obligentur, *juxta theſ.* 682. & 683.

CASUS DCCIV.

H. 30. merces ſuas navis levandæ gratiâ ejecit, 9. itineris ſociis proteſtantibus, & contra eoſdem in judicio experitur ad contributionem faciendam, quæritur, an actio locum habeat? Reſpondeo: Actionem locum non habere, quia fundamentum actionis, deſcendentis ex lege Rhodiâ de jactu, eſt conſenſus ob æquitatem naturalem à lege præſumptus, qui deficit, non exploratâ voluntate majoris partis navigantium, *juxta Theſ.* 687. & 688.

CASUS DCCV.

I. 30. Merces, 1000. valentes, cum convectorum conſenſu navis levandæ gratiâ ejecit, & contra hos inſtituit actionem pro faciendâ contributione ad 1000. quæritur, an contributioni ad 1000. juxta proportionem locus fit? Reſpondeo: Contributioni ad 1000 juxta proportionem locum eſſe, cùm enim & intereſſe hodie in hanc actionem veniat, res jactæ quoque tanti æſtimantur, quanti ſervatæ vendi poſſunt, *juxta theſ.* 696.

CASUS DCCVI.

K. 30. Dominus mercium ejectarum, valentium 200. contra itineris ſocios, Dominos mercium ſervatarum ad, 800 experitur actione ad legem Rhodiam ad recuperandas 180. quæritur an rectè? Reſpondeo: K. rectò agere ad recuperandos 180. quippe contributio facienda eſt pro rata, *juxta theſ.* 697.

CASUS DCCVII.

L. 30. inſtitor merces, ad Dominum tabernæ pertinentes, vendidit tanquam ſuas mihi, convenitur â me ad mercium venditarum traditionem - excipit, ſe nomine præponentis contraxiſſe, quæritur, an actori ex pro, priis ſatisfacere teneatur? repondeo: L. actori ex propriis ſatisfacere te-

neri, inſtitor enim proprio nomine contrahendo; ex vero contractu tenetur, *juxta theſ. 703.*

C A S U S DCCVIII.

M. 30. Filiusf. habens Coloniæ tabernam librariam; merces accepit à Mevio, & Francofurti quoque librariam à Sempronio; quæritur, an ſi merces omnes ad patrem pervenerint, hic à Sempronio conveniri poſsit ad mercium Colonienſium æqualem diſtributionem faciendam, aut quo remedio Mevio conſuli poſsit? Reſpondeo: Mevio ſeparationis remedio conſuli poſſe, nam ſi filiusf. plures ejusdem negotiationis tabernas habeat, vi actionis Tributoriæ beneficium hoc conceditur; Mevius enim magis cenſetur crediſſe in tabernam Colonienſem, quàm Francofurtenſem, *juxta Theſ.* 710.

C A S U S DCCIX.

N. 30. Filiusf., adita hæreditate Titii patre diſſentiente, vendidit mihi fundum ſuum Tuſculanum, & non tradidit, quæritur, an Judex poſsit me in poſſeſsionem prædicti fundi immittere? Reſpondeo: judicem me in poſſeſsionem prædicti fundi immittere poſſe, quia executio actionis non differtur, ſi filiusf. proprio nomine contrahat, & bona adventitia irregularia poſsideat, utpote quæ ſub ejus dominio exiſtunt, *juxta theſ.* 714.

C A S U S DCCX.

O. 30 Filiusf. per ſententiam condemnatus ad implementum contractûs, paterf factus, à me pulſatur actione rei judicatæ, quæritur, an, & qualem O. habeat exceptionem? Reſpondeo: filiumf. habere exceptionem beneficii competentiæ, ſeu privilegii, *ut neo-Patribusf. tantum relinquatur, quantum ad propriam, & familiæ ſuſtentationem ſufficit, juxta Theſ 715.*

C A S U S DCCXI.

P. 30. Filiusf. pecuniam à me accepit mutuam, interpellatus ſolvit partim ex proprio patrimonio, partim ex patrimonio à Patre ad ipſum profecto, quæritur, an, & qualem filiusf aut ſaltem Pater habeat contra me actionem? Reſpondeo: Patri vi exceptionis Senatûsconſulti Macedoniani competere rei vindicationem ad recuperandos nummos à filio ex peculio profectitio ſolutos, adhuc exſtantes, condictionem verò ad conſumptorum recuperationem, quoad ſolutos autem ex proprio patrimonio filiif. nec huic, nec Patri actio competit, *juxta Theſ.* 723. 726. 727. & 728.

CA-

CASUS DCCXII.

Q. 30. Filiusf. acceptâ à me pecuniâ mutuâ, beneficio SCti Macedoniani juratò renuntiavit, quæritur, an, & qualem actione mutui conventus habeat exceptionem? Reſpondeo: filiumf. actione mutui conventum, habere exceptionem SCti Macedoniani, beneficio enim huic ne quidem juratò renuntiari poteſt, cùm juramentum obligationi, ob turpem cauſam invalidæ, accedens pariter efficaciam non habeat, *juxta Theſ. 724. & 725.*

CASUS DCCXIII.

R. 30. Filiusf. devolutâ ad ipſum hæreditate Materteræ, conducit à me domum Tuſculanam pro annuo locagio 100. Imper. R. moroſo exiſtente in locagii ſolutione, inſtituo contra patrem ejus actionem de peculio, quæritur, an, & qualis Patri competat exceptio? Reſpondeo: Patri competere exceptionem incompetentis actionis de peculio, utpote quæ contra patrem locum non habet in peculio adventitio, ſed profectitio tantùm, quod ſolum quaſi contractum inducit, *juxta Theſ.* 730.

CASUS DCCXIV.

S. 30. Paterf. dato filiof. ſuo peculio ad 2000. credidit eidem in mercibus 1000. ego quoque creditor filiif. ad 2000. intento contra patrem actionem ad hos 2000. quæritur, an, & quali exceptione Pater poſsit me repellere? Reſpondeo: patrem me deductionis exceptione repellere poſſe, quia Pater deducere poteſt, quod ſibi extra peculium debetur, cùm tale debitum Patri jam ſolutum cenſeatur, utpote quod jam in ſua cuſtodia habet, *juxta Theſ. 732.*

CASUS DCCXV.

T. 30. Credidit filiof. 1000. pedes ligni, filius 500. impendit ad reſtaurationem domûs paternæ, caſu combuſtæ, quæritur, an, qualem, & in quid T. habeat contra patrem actionem? Reſpondeo: T. contra patrem habere actionem de in rem verſo ad 500., quia actio hæc duntaxat competit ad id, in quantum verſum eſt, in rem verſum autem dicitur, etiamſi poſteà utilitas periêrit, *juxta theſ 737. & 738.*

CASUS DCCXVI.

V. 30. Credidit filiof. 1000., quos ad ſuſtentationem familiæ paternæ impendit, Pater 1000. filio reſtituit, V. contra patrem intentat actionem, quæritur, an, & quali exceptione Patri poſsit ſuccurri? Reſpondeo: Patri exceptione ſatisfactionis filio præſtitæ ſuccurri poſſe, quippe, ut actio hæc detur, verſum durare debet reſpectu rei conventi, quod non obtinet, ſi Pater filio ſatisfecerit, *juxta theſ.* 741.

CASUS DCCXVII.

W. 30. Pater f. juſſit filium f. à Mevio emere 1000. modios frumenti, filius f. emit 1000. modios 2000. imper. Mevius contra patrem intentat actionem, reus excipit ſe in peculio non habere, niſi 1000. quæritur, quomodo Judex debeat pronuntiare? Reſpondeo: Judicem teneri reum in 2000. condemnare, non obſtante exceptione, in peculio plus non contineri, quàm 1000. Ratio eſt, quòd actio *quòd juſſu* detur in ſolidum, & conſequenter pater vi hujus actionis ultra peculii vires convenibilis eſt, quippe juſſus, quà conjunctus cum imperio paterno, differt à mandato, cùm patrem etiam obliget in id, quod contra intentionem ſuam actum eſt, *juxta Theſ.* 744. & 746.

CASUS DCCXVIII.

X. 30. Excuſſo Titio debitore, convenit in judicio Sejam ex fidejuſſione, quæritur, an, & qualem Seja habeat exceptionem? Reſpondeo: Sejam habere exceptionem SCti Vellejani, quo cavetur, ne fœminæ pro aliquo intercedant, ex eo, quòd mulieres repellantur ab officiis publicis, quibus interceſſiones pro aliis interpoſitæ, tanquam aliorum defenſiones, annumerantur, *juxta Theſ* 747.

CASUS DCCXIX.

Y. 30. Convenit in judicio mulierem ex contractu fidejuſſionis, pro marito in inſtrumento Publico interpoſitæ, mulier habens confidejuſſorem, opponit exceptionem diviſionis, Y. probat confidejuſſorem non eſſe ſolvendo, Judex condemnat mulierem ex fidejuſſione, quæritur, an ſententia ſit legibus conformis? Reſpondeo: Sententiam legibus conformem non eſſe, ſiquidem fœmina pro Marito intercedens, licèt in inſtrumento publico, ipſo jure tuta eſt, quin exceptione indigeat, proindéque Judex illam ex officio tueri tenetur, *juxta Theſ.* 752 & 753.

CASUS DCCXX.

Z. 30. Pulſat mulierem in judicio ex inſtrumento publico fidejuſſionis, pro marito interpoſitæ, mulier opponit exceptionem, creditor probat mulierem bene monitam beneficio juratò renuntiâſſe, quæritur, quomodo Judex debeat pronuntiare? Reſpondeo: Judicem pro muliere pronuntiare debere, illam à fidejuſſione abſolvendo, ſiquidem beneficio Auth. *ſi qua mulier* ne quidem juratò renuntiari poteſt, juramentum enimquidem efficaciorem reddit actum, non autem validare poteſt actum, de jure reprobatum, *juxta Theſ.* 758.

CASUS DCCXXI.

A. 31. Pro muliere, fidejubente pro non marito in inſtrumento publico, fidejuſſit, creditor convenit A. in judicio, A. opponit exceptionem SCti Vellejani, quæritur, an exceptio ſit fundata? Reſpondeo: Exceptionem fundatam eſſe, quippe exceptio SCti Vellejani eſt realis,& hinc etiam fidejuſſori competit, deinde fidejuſſor accedens, ubi nulla obligatio principalis anteceſſit, pariter obligationem nullam contrahit, fidejuſſio enim, tanquam obligatio acceſſoria, neceſſariò præſupponit obligationem principalem, *juxta Theſ.* 755.

CASUS DCCXXII.

B. 31. Debet mihi mille ex anno 1mô, & ego eidem pariter mille ex anno 2do, B. convenit me in judicio, ego oppono exceptionem ſolutionis, in qua me ſuccumbentem Judex condemnat, quæritur, an ſententia ſit juſta? Reſpondeo: Sententiam juſtam eſſe, compenſationem enim ipſo jure fieri denotat, exceptionem compenſationis in judicio allegandam eſſe, imò neceſſaria eſt compenſare volentis declaratio, etiam in caſu, ubi debitor tantùm ex una cauſa obligatur, ſecus enim actum ſecundum compenſatio non inducit, *juxta Theſ.* 765. & 767.

CASUS DCCXXIII.

C. 31. Creditor Titii ex anno 1mô, cum Hypotheca omnium bonorum, me debitorem Titii ex anno 2do ad mille, in judicio pulſat in anno 4to, ego excipio ex anno 3tio mihi viciſſim Titium debere mille, adeoque compenſationi locum eſſe, quæritur, an hæc exceptio, me in probatione crediti ſuccumbente, locum habeat? Reſpondeo: Hanc exceptionem locum non habere, illiquidum enim cum liquido compenſari nequit, ſiquidem ad compenſationem imprimis neceſſaria eſt debiti & crediti hinc inde contribuibilitas, imo ſuppoſitâ liquiditate etiam, exceptio tamen locum non haberet, quia in præjudicium tertii ſine animi declaratione non inducitur, *juxta Theſ.* 760. & 762.

CASUS DCCXXIV.

D. 31. Depoſuit apud me ciſtam clauſam cum incluſis, quâ deinde inventâ apertâ, deponens contra me agit ad reſtitutionem vaſorum aureorum, aſſertim cum eadem depoſitorum, quæritur, an ſi inibi nulla pretioſa reperiantur, deponens ſit audiendus, & quid eidem probare incum-

bat? Reſpondeo: deponentem audiendum eſſe, ſi enim ciſta deponatur, ſingulæ res in illa comprehenſæ cenſentur depoſitæ, licèt depoſitarius qualitatem & quantitatem ignoret, deponens tamen tenetur dolum probare (utpote qui in depoſitario non præſumitur) aut juramentum præſtare, ſe talia pretioſa vaſa ciſtæ incluſiſſe, cui juramento ſtatur, ſi deponens ejus conditionis reperiatur, ut veroſimile ſit, eum res tales habuiſſe, modò juramentum per factam à depoſitario probationem in contrarium non enervetur, *juxta* T*heſ.* 770. 771. 773. *&* 774.

CASUS DCCXXV.

E. 31. Depoſuit apud me pecuniam obſignatam, & mortuus eſt, tribus hæredibus relictis, primus hæres cautionem offert, & agit ad totam pecuniam ſibi reſtituendam, quæritur, an actio ſit fundata? Reſpondeo: actionem fundatam non eſſe, cùm enim pecunia obſignata individua non ſit, depoſitarius ſcire poteſt, quota ſit uniuscujusque hæredis pars, modò depoſitarius ad fraudis præſumptionem evitandam coram Notario & teſtibus pecuniam obſignatam aperiat, *juxta Theſ.* 776.

CASUS DCCXXVI.

F. 31. Depoſuit apud me tres equos, & relictis tribus hæredibus mortuus eſt, primus agit contra me ad depoſitum reſtituendum erga cautionem, quæritur, an actor ſit audiendus? Reſpondeo: actorem audiendum eſſe, equi enim individui ſunt, proindéque de uniuscujusque hæredis portione depoſitario non conſtat, *juxta theſ.* 778. *&* 779.

CASUS DCCXXVII.

G. 31. Mandatarius meus exegit pecunias à meo debitore, easdémque meo nomine in uſuras collocavit, quæritur, an, & quâ actione mihi de uſuris reſpondere teneatur? Reſpondeo: G. mihi teneri actione mandati de uſuris reſpondere, quia mandatarius uſuras, ex mandantis pecuniis, ab hujus debitore exactis, & mandatario nomine expoſitis, perceptas, mandanti reſtituere tenetur, cùm bonæ fidei non congruat, ut de alieno lucrum ſentiat, *juxta* T*heſ.* 783.

CASUS DCCXXVIII.

H. 31. Mandavit mihi, ut pecuniam Titio gratis credam, quæritur, an, ſi ego illam Sempronio, minùs idoneo, ſub uſuris credam, ſortis periculum ſuſtineam, & de uſuris fortè reſpondere tenear? Reſpondeo: me ſortis periculum ſuſtinere, & teneri de uſuris reſpondere, ratio ſtat in

eo,

eò quòd fines mandati in hoc caſu egreſſus ſim ; uſuræ pariter mihi non competunt, periculum enim ob moram, culpam, aut pactum non ſtatim transfert commodum, *juxta Theſ.* 786.

C A S U S DCCXXIX.

I. 31. Suſcepto mandato de committenda mercium mearum tranſportatione Sempronio, easdem commiſit Mevio, uterque mercibus ſpoliatur, quæritur an I. ob transgreſſos limites mandati mihi teneatur? Reſpondeo: I. ob transgreſſos limites mandati mihi non teneri, quia caſus hic pariter eveniſſet, licèt mandatarii culpa non interveniſſet, *juxta Theſ.* 788.

C A S U S DCCXXX.

K. 31. Mihi mandavit 1mâ Martii vina Francofurtenſia vendere, & pretium remittere, 2dâ Martii ſuſcepto mandato Francofurtum proficiſcor, 4tâ Martii K. mihi mandat ex pretio vinorum merces emere, ego pretium remitto, quæritur 1mò, an periculum pretii ad me pertineat, 2dò an mandanti tenear ſaltem ad intereſſe? Reſpondeo 1mò: periculum pretii ad me pertinere, quia illud remittendo, mandati fines transgreſſus ſum; 2dò: me tamen mandanti ad intereſſe non teneri, prætendere enim licèt, me mandatum recentius de emendis mercibus non acceptâſſe, præcipuè, cùm mandatum ſit contractus gratuitus, ex amicitiâ originem trahens, *juxta theſ.* 790.

C A S U S DCCXXXI.

L. 31. Omnia bona ſua cum meis omnibus communicat, L. filium applicat ſtudiis, quæritur, an ego cœlebs in his ſumptibus tenear concurrere? Reſpondeo: me cœlibem in his ſumptibus teneri concurrere, quippe ſocius univerſorum bonorum, filium ſtudiis applicando, id ſocietati imputat, licèt alter liberis deſtitutus ſit, quia, cùm ad alterum ſocium quæcunque quærenda vi hujus ſocietatis pertineant, iniquum non eſt, ut eidem quoque impenſæ imputentur, *juxta theſ.* 793.

C A S U S DCCXXXII.

M. 31. Præfectus Societatis mecum contraxit, nullâ præpoſitionis factâ mentione, quæritur, an ſocii contra me de rigore juris agere poſſint, & quid dicendum ſit de praxi? Reſpondeo: ſocios de rigore juris contra me agere non poſſe, quia contractus non tantùm unius ſocii nomine, ſed totius Societatis initus eſt, fallit tamen de praxi concluſio, ſi ſocii aliter indemnitatem ſuam non habeant, *juxta Theſ.* 796. & 797.

CASUS DCCXXXIII.

N. 31. præfectus ſocietatis rem, ad ſocietatem pertinentem, mihi vendidit, quæritur, an ſocii ex hoc contractu conveniri poſſint? Reſpondeo: ſocios ex hoc contractu conveniri non poſſe, ſi præfectus proprio, & non ſociorum nomine contraxit, præfectus enim proprio nomine contrahendo ſibi ſoli actionem quærit, licèt de re ad ſocietatem pertinentè contraxerit, *juxta Theſ.* 801.

CASUS DCCXXXIV.

O. 31. ſocius ſocietatis publicæ communi conſenſu rem, ad ſocietatem pertinentem, mihi vendidit, quæritur, an conſocius habeat contra me actionem in ſolidum? Reſpondeo: Conſocium habere contra me actionem in ſolidum, ratio ſtat in ſpeciali favore ſocietatis, authoritate publicâ conſtitutæ, *juxta theſ.* 802.

CASUS DCCXXXV.

P. 31. Socius meus januam domûs de nocte reliquit apertam, & vaſa aurea communia, valentia. 1000. furtô ſunt ablata, ego inſtituo actionem *pro ſocio* contra P. ad reparationem damni perpeſſi, & reficiendum id, quanti meâ intereſt, quæritur, an actio ſit fundata? Reſpondeo actionem fundatam non eſſe, cùm enim conſocius non gerat res ſimpliciter alienas, ſed ſuo modo proprias, jus civile remiſit eidem rigorem naturalem, & obligationem adhibendi diligentiam exactam, hinc præſtat culpam levem ratione effectûs, hoc eſt, Solam damni æſtimationem ſine intereſſe, licèt ratione formæ ſit culpa lata, *juxta Theſ.* 806.

CASUS DCCXXXVI.

Q. 31. Vendidit mihi fundum Tuſculanum 1000. eâ lege, ut picturam elaborem valentem 1000. picturâ traditâ, inſtituo contra Q. actionem empti, quæritur, an & qualem Q. habeat exceptionem? Reſpondeo: Q. exceptionem non habere, quippe in his circumſtantiis verum contractum emptionis venditions mecum iniit, & non innominatum, nam adſunt omnia hujus contractûs eſſentialia requiſita ad illius perfectionem, conſenſus nempe de merce determinata emptori tradenda, & pretio certo venditori dando, *juxta theſ.* 811.

CASUS DCCXXXVII.

R. 31. Vendidit Mevio ſcyphum aureum 1000. Imper. terminô ſolutionis pre-

pretii in 1mam Jan. præfinitô, 28vâ Febr. contra Mevium excitatur concurſus creditorum, quæritur, an R. ſcyphum valeat vindicare? Reſpondeo: R. ſcypum vindicare non poſſe, per dilationem enim quoque modicam fides de pretio habita cenſetur, hinc emptione venditione per hoc perfectâ, conſummatâ, & dominiô in emptorem translatô, pœnitentiæ locus non datur, neque venditor in hoc caſu ante alios creditores præferentiam habet, *juxta Theſ.* 814.

CASUS DCCXXXVIII.

S. 31. Emit à me Treviris 100. modios frumenti, quæritur, ſi Coloniæ major ſit menſura, quàm Treviris, quænam ſit attendenda? Reſpondeo: Menſuram Trevirenſem attendendam eſſe, nam in dubio, re ad menſuram venditâ, reſpiciendum eſt ad menſuram loci contractûs, quia contractus non tantùm quoad perfectionem, ſed etiam conſummationem ſubjicitur legibus loci, ubi erectus eſt, *juxta Theſ.* 812.

CASUS DCCXXXIX.

T. 31. Vendidit 2dâ Aprilis Mevio ignoto, & alterâ die receſſuro adamantem 1000. alterâ Mevius vendit adamantem Cajo, & vaſis collectis abit, T. contra Cajum intentat actionem rei vindicatoriam, quæritur, an ſit audiendus? Reſpondeo: T. actionem rei vindicatoriam contra Cajum intentantem audiendum eſſe, quia fides de pretio habita non cenſetur, ſi perſonæ ignotæ, & mox receſſuræ res vendita ſit, hinc neque dominium rei ad talem emptorem transfertur, *juxta Theſ.* 819.

CASUS DCCXL.

V. 31. Vendidit mihi fundum Tuſculanum 1000. imperialibus, ea lege, *ut inemptus ſit, ſi alius ſpatio anni emerit.* 1500. & tradidit, poſſeſſione caſu ad Mevium devolutâ, intento contra illum rei vindicationem, quæritur, an actio intentata contra Mevium locum habeat? Reſpondeo: actionem contra Mevium intentatam locum habere, nam ſi pactum addictionis in diem ſub conditione reſolutivâ conceptum ſit, re traditâ tranſit quidem illius dominium, cùm pactum hoc ita adjectum non impediat, quo minùs emptio venditio perfecta dicatur, *juxta theſ.* 823. Verum dominium redit, eveniente conditione reſolutiva, & pacto verbis directis conceptô, *juxta theſ.* 826.

CASUS DCCXLI.

W. 31. Emit à me domum Cornelianam 1000. hac conditione: *Ut*

empta ſit, niſi alius infra annum obtulerit 1500., factâ traditione poſſeſſio devolvitur ad Ulpianum, contra quem intento rei vindicationem; quæritur, qualis Ulpiano competat exceptio? Reſpondeo: Ulpiano non competere exceptionem, ſuppoſitô mihi infra annum 1500. oblatos eſſe, ſiquidem pactum addictionis in diem, ſub conditione ſuſpenſiva contractui adjectum, impedit dominii translationem, quippe emptio venditio, non purè, ſed conditionatè inita, perfecta non eſt, *juxta Theſ.* 825.

C A S U S DCCXLII.

X. 31. Emit à me pratum 1000., *ut, ſi alius emere velit* 2000. *liceat mihi pratum vindicare*, X. vendidit pratum Papiniano, deinde Marcellus offert 2000., intento actionem rei vindicatoriam contra Papinianum, quæritur, an rectè? Reſpondeo: me rectè inſtituere actionem rei vindicatoriam, ſi enim pactum addictionis in diem verbis directis conceptum ſit, dominium ipſo jure ad venditorem redit, *juxta Theſ.* 826.

C A S U S DCCXLIII.

Y. 31. Emit à me fundum Cornelianum 1000. ita, *ut inemptus ſit, ſi totum pretium infra annum ſolutum non fuerit*, fundum trado, Y. ſolvit 500., quæritur, an ſolutione in termino non ſecutâ, poſſim actionem vindicatoriam contra Y. inſtituere, an vero Y. poſſit refuſionem 500. ſolutorum prætendere? Reſpondeo: me contra Y. actionem vindicatoriam inſtituere poſſe, quin refuſionem 500 ſolutorum prætendere poſſit, quia emptio, ſub pacto legis commiſſoriæ inita, pura eſt, atque conditio adjecta regulariter reſolutiva, conſequenter dominium ipſo jure redit ad venditorem, caſu, quo pacto verbis directis concepto paritum non ſit, *juxta Theſ.* 830. *&* 833.

C A S U S DCCXLIV.

Z. 31. Habens cohæredem Titium, vendit mihi hæreditatis ſuæ partem, Titius portionem ſuam repudiat, quæritur, an portio Titii repudiata ad me, an verò ad Z. devolvatur? Reſpondeo: Titii repudiatam portionem ad me, non autem ad Z. devolvi, quia cùm hodie ſecùs, ac de jure Romano, dominium directum, & conſequenter actiones directæ per ſolam hæredis traditionem ad emptorem transferantur, emptor quoque jure accreſcendi gaudet, *juxta theſ.* 841. *&* 842.

CA-

CASUS DCCXLV.

A. 32. Nomen habens contra Mevium inferioris notæ hominem, vendit illud Conſiliario aulico Theſſalienſi, Conſiliarius convenit Mevium coram judice, Conſiliario aulico prædicto inferiore, quæritur, qualis Mevio competat exceptio? Reſpondeo: Mevio competere illegitimæ venditionis exceptionem, quia venditio nominis in potentiorem celebrata non tenet, utpote, qui facilius evincere poteſt actionem, quam privatus, *juxta Theſ.* 845.

CASUS DCCXLVI.

B. 32. Vendidit mihi nomen, competens contra Mevium mille continens, ſexcentis, ego Mevium in judicio pulſo ad 1000., quæritur, quænam Mevio ſuppeditanda ſit exceptio? Reſpondeo: Mevio exceptionem *L.* 22. *Cod. mand ſeu Anaſtaſianæ* ſuppeditandam eſſe, venditio nominis enim peccans contra hanc legem in pœnam emptorum litium reprobatur, *juxta theſ.* 846.

CASUS DCCXLVII.

C. 32. Vendidit mihi fundum Tuſculanum, 100. valentem, pretio per judicis decretum ad 49. determinato, quæritur, quale venditori contra contractum competat remedium? Reſpondeo: venditori contra contractum competere rem dium *L.* 2. *Cod. de reſcind. vendit*, cum enim præſumptio pro decreto judicis militans, locum non habeat, ſi in contrarium de veritate conſtet, remedium hoc pariter contra judiciale decretum, concurrente læſione enormi, admittitur, *juxta theſ* 854.

CASUS DCCXLVIII.

D. 32. Sub haſta emit à me domum Cornelianam, valentem 50. pretio 76., quæritur, an, & quale emptor habeat remedium? Reſpondeo: emptorem non habere remedium *L.* 2. *Cod. de reſcind. vend.* quia licet hoc remedium introductum ob humanitatem ad emptorem quoque contra ſubhaſtationem voluntariam extendatur, *juxta Theſ.* 851. *&* *855.*, attamen quia emptor dimidium ejus recepit, quod expoſuit, ultra dimidium læſus non eſt.

CASUS DCCXLIX.

E. 32. Obærati debitoris prædium, valens 100. ſubſternitur haſtæ publicæ, & venditur 48. quæritur, an, & quale E. contra venditionem habeat remedium? Reſpondeo: E. contra venditionem habere prædictum in priori caſu remedium, noſtro judicio enim etiam contra ſubhaſtationem neceſſariam dictum remedium concedendum eſt, cum æquitas in nullis circumſtantiis patiatur, ut quis enormiter lædatur, *juxta theſ.* 857.

CASUS DCCL.

F. 32. Emit adamantem, 1000. valentem, 499. venditor petit contractum reſcindi, emptor offert pretii juſti ſupplementum, quæritur, an reus ſit audiendus? Reſpondeo: Reum audiendum eſſe, licèt enim remedium *Leg. 2.* ſuâ naturâ tendat ad contractum reſcindendum, & hinc ſupplementum pretii non ſit in actione, eſt tamen in præſtatione, quæ, ſi ab enormiter lædente offertur, contractus manet validus, *juxta* T*heſ.* 859.

CASUS DCCLI.

G. 32. 1mâ Martii vendidit mihi 1000. modios frumenti ex ſuo granario 2000. imper. 2dâ Martii granarium caſu conflagravit, G. inſtituit contra me actionem venditi, quæritur, an actio ſit fundata? Reſpondeo: Actionem venditi fundatam non eſſe, nam perfectâ emptione venditione periculum rei venditæ eſt quidem penes emptorem, ut ut res nondum tradita, nec emptor in mora conſtitutus ſit, idque, ut emptor animetur ad pretium ſine mora venditori dandum, *juxta* T*heſ.* 862. at, quia hæc venditio ante ad menſurationem imperfecta eſt, periculum ſuſtinet venditor, *juxta* T*heſ.* 863.

CASUS DCCLII.

H. 32. 10. Auguſti emit à me meam cellam vinariam 6000. 2dâ Auguſti vina caſu pereunt, ego intento actionem venditi ad pretium, quæritur, an actio locum habeat? Reſpondeo: Actionem locum habere, re enim admetiendâ vendita periculum quidem eſt venditoris, uſquedum res admenſa fuerit, quia ante menſuram adhibitam merx determinata non eſt, jam autem ante mercis determinationem emptio venditio non perficitur, *juxta theſ* 863. verùm quia in caſu vina non ſunt vendita ad menſuram, emptio ante admenſurationem perfecta eſt, *juxta theſ.* 862.

CASUS DCCLIII.

I. 32. Emit à Mevio 10. amas vini ex dolio ſub No. 1. 100. imper. in caſum deguſtationis, ante factam deguſtationem vinum contrahit acorem, Mevius intentat actionem venditi ad pretium, quæritur, quænam reo competat exceptio? Reſpondeo: Reo competere nondum factæ deguſtationis exceptionem, quippe re ad juſtum venditâ, ſed nullâ die deguſtationi præfinitâ, periculum acoris & mucoris ſpectat ad venditorem, donec enim vinum guſtatum ſit, emptio venditio imperfecta eſt, *juxta Theſ.* 865.

CASUS DCCLIV.

K. 32 Vendidit mihi fundum Tuſculanum 1000. agit contra me ad pretium, ego excipio, fundum non eſſe venditoris, quæritur, an excep-

CA-

tio de *jure* ſubſiſtat? Reſpondeo: Exceptionem de jure non ſubſiſtere, emptor enim negans pretii ſolutionem, ex metu, ne res à verò Domino repetatur, audiendus non eſt, niſi evictio immineat, cùm à venditore per Dominii probationem, aut pretii reſtitutionem ſufficienter defendatur, *juxta theſ.* 879.

C A S U S DCCLV.

L. 32. Emit à me fundum Cornelianum 1000. fundô traditô ago ad pretium unà cum uſuris, quæritur, an uſuræ mihi debeantur? Reſpondeo: Uſuras mihi deberi, quia emptor, re traditâ, & fide de pretio habita, tenetur ad uſuras, nam æquitati conſentaneum eſt, ut is uſuras præſtet, qui fructus rei traditæ percepit, *juxta theſ.* 872.

C A S U S DCCLVI.

M. 32. Elocavit mihi prædium ruſticum, ſingulis trienniis cultivari ſolitum, ad 6. annos, poſt lapſum anni 7mi M. agit contra me ad prædium deoccupandum, quæritur, an rectè? Reſpondeo: M. contra me rectè non agere ad prædium deoccupandum, quia tacita relocatio apud nos ſaltem ad id tempus facta cenſetur, quo fructus ex fundo conducto plenè percipi poſſunt, *juxta Theſ.* 875.

C A S U S DCCLVII.

N. 32. Elocavit mihi domum Francofurtenſem aut Lipſienſem ad Triennium 1mâ 7bris 1728, 2dâ Januarii 1732. N. agit contra me ad domûs deoccupationem, quæritur, quâ exceptione me poſſim tueri? Reſpondeo: Me exceptione L. 13. tueri poſſe, quæ docet tacitam relocationem in prædiis urbanis ad id tempus reſtringi, quo habitari ſolet, vel quo moris eſt in illo loco habitare, cùm autem Lipſiæ, aut Francofurti habitari ſoleat, donec nundinæ finitæ ſint, hinc conſuetudo horum locorum tacitum locatoris conſenſum ad prædictum tempus inducere præſumitur, *juxta Theſ.* 877.

C A S U S DCCLVIII.

O. 32. Pictor elocavit mihi operas pictorias, & opere cœpto alium ſubſtituit, quæritur, an O. ad operas in propria perſona præſtandas compelli poſſit? Reſpondeo: O. ad operas in propria perſona præſtandas compelli poſſe, locator enim operarum contractum per alium adimplere non poteſt in caſu, quo operæ artificioſæ, & ſingularem induſtriam requirentes locatæ ſunt, *juxta Theſ.* 880. & 881.

CASUS DCCLIX.

P. 32. Conduxit operas murarii, fabri lignarii, tegularii, ad domûs exſtructionem, ſamentlich ein Hauß auffzubauen / P. murarium, præſtitis licèt operis, convenit in judicio ad domum perficiendam, quæritur, an actio locum habeat? Reſpondeo: actionem locum habere, quia, ſi plures opus faciendum promittant in ſolidum, id eſt, ſamentlich / unuſquiſque in ſolidum obligatur, tunc enim quiſque in ſolidum contrahendo, etiam obligationem in ſolidum contraxiſſe præſumitur, *juxta Theſ.* 883.

CASUS DCCLX.

Q. 32. Canonicus elocavit mihi 1mâ Martii 1730. domum Tuſculanam ad ſexennium, 1732. 1mâ Martii moritur, ſucceſſor intentat contra me actionem ad domum deoccupandam, quæritur, an ſit audiendus? Reſpondeo: ſucceſſorem audiendum eſſe, cùm particularis ſit, nam quia defunctum talis ſucceſſor non repræſentat, cum ipſo quoque contractum eſſe non præſumitur, hinc ſtare non tenetur locatione ſui anteceſſoris, *juxta Theſ. 884.*

CASUS DCCLXI.

R. 32. Elocavit mihi operas ad domum exſtruendam, domus ob cæmenti vitium rimam paſſa eſt, ago contra R. in judicio ad damni refuſionem, quæritur, an jure? Reſpondeo: me contra R. in judicio jure agere ad damni refuſionem, quippe locator operarum præſtat quoque minimam negligentiam, imò regulariter caſum, ex vitio operis ſeu operarum emergentem, utpote qui ſimiliter præſtatur, ſi culpa præceſſerit, *juxta theſ. 892. & 893.*

CASUS DCCLXII.

S. 32. Elocavit mihi opus probandum, ante probationem opus caſu fortuito perit, quæritur, quis ferat damnum? Reſpondeo: S. ferre damnum, nam locator operæ caſum præſtat, antequam opus perfectum ſit per probationem, ante quam adhibitam locator manet operis Dominus, *juxta Theſ.* 896.

CASUS DCCLXIII.

T. 32. Conduxit à me domum Tuſculanam in anno primo ad ſexennium, in anno 2dò domus Corneliana, à me inhabitata, conflagravit, inſtituo contra T. actionem ad deoccupationem, quæritur, an, & quali exceptione T. ſit tutus? Reſpondeo: T. exceptione tutum non eſſe, licèt enim conductor ex ædibus conductis regulariter ante finitum tempus expel-

li nequeat, fallit tamen concluſio, ſi poſt contractum ſupervenerit proprii uſûs neceſsitas, nam jus præſumit locatorem hanc tacitam conditionem in contractu ſubintellexiſſe, *juxta Theſ.* 898.

C A S U S DCCLXIV.

V. 32. Dedit mihi annulum, 100. æſtimatum, ut vendam, quæritur, quali actione V. me, nec annulum referentem, nec pretium ſolventem poſsit pulſare? Reſpondeo: me actione, deſcendente ex contractu æſtimatorio innominato, pulſari poſſe, ſi enim de mente contrahentium non conſtat, quale negotium geſtum illi voluerint, æſtimatio faciendæ venditionis gratiâ ad præſentem contractum producendum adjecta cenſetur, *juxta* Theſ. 900. & 903.

C A S U S DCCLXV.

W. 32. Mandavit mihi, ut adamantem 1000. vendam, quæritur, an, ſi 2000. vendiderim, W. contra me habeat actionem ad 2000.? Reſpndeo: W. contra me habere actionem mandati ad 2000., cum enim in hoc caſu non contractus innominatus, ſed nominatus, nempe mandati, initus ſit, mandatarius obligatur ad pretium præſtandum, quo res vendita eſt, idque vi illius obligationis, qua negotium alienum ſuſcipiendo, tenetur meliorem reddere conditionem mandantis, dum occaſio ſe offert, *juxta theſ.* 904. & 906.

C A S U S DCCLXVI.

X. 32. Dedit mihi ſcyphum 100. vendendum, vendidi 200. quæritur, an, & quali actione X. 200. à me poſsit exigere? Reſpondeo: X. ad 200. contra me agere non poſſe, accipiens enim in contractu æſtimatorio defungitur, pretium conventum reſtituendo, *juxta Theſ.* 906.

C A S U S DCCLXVII.

Y. 32. Rogavit te, ut unionem venderes 1000., ante venditionem unio perit, Y. contra te intentat actionem ad reſtituendam unionem, aut ſolvendos 1000., quæritur, an actio ſit fundata? Reſpondeo: actionem fundatam non eſſe, ſi enim dans rogaverit accipientem, ille præſtat periculum, ex eo, quòd ſolus negotii author ſit, *juxta Theſ.* 908.

C A S U S DCCLXVIII.

Z. 32. Dedit mihi fundum tuum, ut ego meum vicißim darem, intentat contra me actionem ad vicißim dandum, quæritur, qualis mihi detur exceptio? Reſpondeo: mihi competere fundi alieni exceptionem,

ad hoc enim,ut contractus innominatus permutationis oriatur, res propria permutanda dari debet, uti ex deſcriptione dicti contractûs patet, *juxta Theſ.* 909 & 910.

CASUS DCCLIX.

A. 33. Dedit mihi equum Hiſpanicum, ut dem Germanicum, antequam dem, A. contra me inſtituit actionem ad equum Hiſpanicum reſtituendum, quæritur, an actio locum habeat? Reſpondeo: Actionem locum non habere, quia hodie ob pacti efficaciam obligatio adeſt ante alterutrius implementum, & conſequenter pœnitentia non admittitur, *juxta theſ. 913.*

CASUS DCCLXX.

B. 33. Dedit mihi agnum, ut darem ovem, agnus periit, intento contra B. actionem ad dandam ovem, quæritur, an jure? Reſpondeo: Actionem jure contra B. intentari, quippe ſi res data perierit, ad rem promiſſam conſequendam datur adhuc actio *præſcriptis verbis*, hoc eſt, ex contractu innominato deſcendens, *juxta theſ.* 915.

CASUS DCCLXXI.

C. 33. Hypothecavit mihi pro debito 1000. imper. in anno *imo* omnia bona & hinc domum Cornelianam, valentem 1000., eandem in anno 2do tibi hypothecavit pro debito 200. & elocavit pro annuo locagio 100., ego contra te in anno 10mo intento Hypothecariam ad conſequendum locagium nondum ſolutum, tu excipis locagium in bonis debitoris adhuc non fuiſſe, quæritur, an actio ſit fundata? Reſpondeo: Actionem fundatam non eſſe reſpectu locagii; fructus enim cum re hypothecati non cenſentur, ſi in bonis debitoris non fuerint, *juxta Theſ.* 918.

CASUS DCCLXXII.

D. 33. Elocavit mihi ſtabulum erga annuos 10. D. contra me, pro ſecuritate locagii obtinenda, intentat actionem ad equos deoccupandos, quæritur, an, & qualis actio locum habeat? Reſpondeo: Actionem hypothecariam locum habere, locator enim prædii urbani tacitam conſtitutam hypothecam habet in illatis & invectis, quatenus eo animo illata, & invecta ſunt, ut perpetuò, hoc eſt, tempore duraturæ conductionis, ibi maneant, *juxta thes.* 919.

CASUS DCCLXXIII.

E. *33.* Jus habet in meo fundo arenam fodiendi in ædificii ſui utilitatem, & Mevio creditori hoc jus oppignorat, Mevius contra E. moroſum debitorem inſtituit actionem hypothecariam, quæritur, an actio ſit fundata? Reſpon-

Reſpondeo: Actionem fundatam eſſe, quia ſervitus ruſtica ſecus, ac urbana, hypothecari poteſt, fructus enim pro ſecuritate debiti creditori conſtituuntur, *juxta theſ.* 920.

CASUS DCCLXXIV.

F. 33. Debet mihi 1000. ex mutuo, Titio 1000. ex ſtipulatu, ego Sempronio creditori ad 1000. fundum pro hypotheca habenti, ſolvo 1000 & intento actionem hypothecariam, quæritur, an actio locum habeat? reſpondeo: Actionem locum non habere, quippe creditor non hypothecarius, ſuâ pecuniâ ſolvendo hypothecario creditori citra conventionem, quidem ſuccedit in actiones perſonales, ſed non in jus hypothecæ, *juxta Theſ.* 921.

CASUS DCCLXXV.

G. 33. Scienter mihi vendidit equum, laborantem vitio capitali, in oculos incurrente, ego inſtituo contra G. actionem, quæritur, an, & qualis actio mihi ſit concedenda? Reſpondeo: mihi concedendam eſſe actionem redhibitoriam, ut venditor rem vitiô infectam recipiat, ſibi habeat, pretiumque cum impenſis reſtituat, venditore enim ſciente vitium, dolus & deceptio ſubintrat, licèt vitio in oculos incurrente, *juxta theſ.* 923.

CASUS DCCLXXVI.

H. 33. Doctor juris emit equum ſuccuſſorem, qualitatis hujus ignarus, H. intentat contra venditorem actionem redhibitoriam, quæritur, an, & qualis reo convento competat exceptio? reſpondeo: Reo convento competere vitii accidentalis, proindéque illegitimæ redhibitoriæ exceptionem, ſi enim uſus rei planè impeditus non ſit, datur actio *quanti minoris*, quæ & Doctori juris in caſu convenit, ad conſequendum id, quanti minoris equum emiſſet, *juxta Theſ.* 923.

CASUS DCCLXXVII.

I. 33. Vendidit mihi capitale, ſtatibus Provinciæ Colonienſis creditum ſub annuo intereſſe ad 5. in ſingula 100. uſuræ reducuntur ad 4., ago contra I. in judicio ad me indemniſandum, quæritur, an, & qualis reo indulgeri poſſit exceptio? Reſpondeo: Reo indulgeri poſſe exceptionem non competentis evictionis, utpote quæ ob ſolum lucrum ceſſans, niſi damnum quoque emergat, non præſtatur, *juxta Theſ.* 924.

CASUS DCCLXXVIII.

K. 33. Debet mihi 1000. 2dâ Maji ſolvendos, convento die non ſolvit, ſed 1mâ Septembris capitale offert, ego renuens illud acceptare; 1mâ Decembris inſtituo actionem ad reſtitutionem capitalis, unà cum uſuris ad 1mam Decembris uſque decurſis, quæritur, an actio ſubſiſtat? Reſſpondeo: actionem non ſubſiſtere, licèt enim ob præſumptum lucrum ceſſans, & damnum emergens, uſuræ propter moram debeantur, ceſſat tamen obligatio uſuras præſtandi, morâ per oblationem purgatâ; ſiquidem in jure ceſſante cauſa pariter ceſſat effectus, *juxta* Theſ. 925.

CASUS DCCLXXIX.

L. 33. Subſcripſit & ſigillavit inſtrumentum, in quo confitetur ſe mihi debere 1000., conventus in judicio excipit ſe inſtrumentum non legiſſe, quæritur, an exceptio ſit legitima? reſpondeo: exceptionem legitimam non eſſe, ratio eſt, quòd inſtrumentum, ſubſcriptum, & ſigillo munitum, contra ſcribentem plenè probet, licèt lectio non præceſſerit; niſi tamen ſcribens errorem manifeſtè probare poſsit, quo tamen inattento parata executio non ſiſtitur, quiſque enim fateri cenſetur, quòd ſigillô vel ſcripturâ munivit, *juxta theſ.* 927.

CASUS DCCLXXX.

M. 33. Inſtituit contra Communitatem Aquiliam actionem negatoriam, petendo fundum ſuum Tuſculanum à ſervitute paſcendi liberum declarari, Communitas provocat ad poſſeſsionem, à ſe in collectione exercitam, atque per Mevium & Titium, Aquilienſes incolas probandam, quæritur, an, & qualis actori contra hos teſtes competat exceptio? Reſpondeo: actori contra hos teſtes exceptionem non competere, nam teſtes de univerſitate idonei ſunt, ubi cauſa non ſingulorum, ſed Univerſitatis commodum concernit, ſiquidem tali modô in propria cauſa non teſtantur, *juxta Theſ.* 928.

CASUS DCCLXXXI.

N. 33. Ex uxore viva habens filiam in matrimonium elocatam, convenitur à filia ad dotem conſtituendam, quæritur, an, & qualem N. habeat exceptionem? Reſpondeo: N. habere diviſionis exceptionem, de moribus enim vicinorum locorum Patris & Matris onus eſt, communem progeniem dotare, nam cùm Pater & Mater ob inductam bonorum communionem commodum habeant, æquitas viciſsim poſtulat, ut in onere ferendo ſimul concurrant, *juxta Theſ.* 929.

CASUS DCCLXXXII.

CASUS DCCLXXXII.

O. 33. Filiam habens ex primo Matrimonio provolat ad ſecunda vota cum Sempronia in loco, ubi viget ſtatutaria omnium bonorum communio, O. Filiæ in matrimonium elocatæ dotem conſtituit ex acquæſtibus, quæritur, an Sempronia, & ad quid contra filiam habeat regreſſum? Reſpondeo: Semproniam contra filiam regreſſum non habere ad dimidiam partem dotis, nam ſtante inter Patrem & novercam ſtatutariâ omnium bonorum communione, dos pariter ex novercæ bonis vi ſocietatis univerſalis conſtituta cenſetur, *juxta theſ. 930.*

CASUS DCCLXXXIII.

P. 33. Conſtituit dotem filiæ habenti hæreditatem ex teſtamento materteræ, patre diſſentiente aditam, quæritur, unde dos conſtituta intelligatur? Reſpondeo: dotem ex hæreditate à filia patre diſſentiente aditâ conſtitutam intelligi, quia hodie caſu, quo liberi habent propria bona, ex his in dubio dos conſtituta intelligitur, nam nec pater nec mater præſumuntur dotare velle liberos, qui ex propriis bonis vivere poſſunt, *juxta theſ. 930.*

CASUS DCCLXXXIV.

Q. 33. Filiam deſponſavit Titio filio Sempronii, Q. & Sempronius pacta dotalia ineunt, ut dos matrimonio diſſoluto ad Q. revertatur, & donatio propter nuptias ad Sempronium, quæritur, an, & qualis contra illud pactum detur exceptio? Reſpondeo: contra pactum hoc dari exceptionem non explorati deſponſatorum conſensûs, quia licèt parentes pacta dotalia pro ſponſis celebrare poſſint, cùm hodiè alius pro alio ritè paciſcatur, tamen neo-deſponſatorum conſenſus ad horum valorem accedere debet, *juxta theſ. 931.*

CASUS DCCLXXXV.

R. 33. Filiæ ſuæ Fundum Tuſculanum in dotem dedit in loco, ubi viget bonorum communio, maritus uxore invitâ fundum alienavit, quæritur, an, & quali actione alienatio ab uxore impugnari poſſit? Reſpondeo: Alienationem ab uxore impugnari non poſſe, ſi enim ſtante bonorum communione circa dotis alienationem pactis dotalibus nihil cautum ſit, marito conceſſa eſt bonorum dotalium alienatio, uxore licèt invitâ, quia tunc maritus vi ſocietatis univerſalis non uxoris, ſed proprium fundum alienat, *juxta theſ. 932.*

CASUS DCCLXXXVI.

S. 33. Filiæ dotem dedit, filia matrimonio contracto ſe à laribus paternis ſeparat, & moritur, S. contra generum intentat actionem ad dotem repetendam, quæritur, an actio ſit legitima? Reſpondeo: Actionem legitimam non eſſe, quia cùm hodie cum nuptiis plerumque concurrat ſeparatio familiæ, & hinc patria poteſtas diſſolvatur, jus repetendi dotem patri plerumque non competit, ſed iis, quibus reſtitutio per pacta dotalia facienda eſt, imò in multis locis maritus aut totam, aut partem lucratur, *juxta theſ.* 934.

CASUS DCCLXXXVII.

T. 33. Accepit in dotem domum Tuſculanam, reſtituendam Patri T., tectum reparavit, & horreum exſtruxit, quæritur, an ſtante bonorum communione T. habeat expenſarum repetitionem? Reſpondeo: Stante omnium bonorum communione T. repetitionem expenſarum non habere, expenſæ enim, præcipuè ſi neceſſariæ & utiles ſint, ſicuti in caſu patet, ſocietati univerſali imputantur, cùm jam non ſit ſeparatum conjugis patrimonium, *juxta theſ. 935.*

CASUS DCCLXXXVIII.

V. 33. Filioſ. ſuo impuberi teſtamento dedit 1. Martii 1732. tutorem Mevium, debitorem teſtatoris ex eodem anno, quæritur, an tutelæ datio ſubſiſtat? Reſpondeo: Tutelæ dationem ſubſiſtere, nam debitor pupilli, quem teſtator talem eſſe ſcivit, tutor rectè datur, ratio eſt conſilium paternum, quod optimum eſſe præſumitur, *juxta theſ. 936.*

CASUS DCCLXXXIX.

W. 33. Teſtamento cavit, ne ejus uxor filiif. impuberis tutrix ſit, quæritur, an mater impuberis à tutela ſit repellenda? Reſpondeo: Matrem impuberis à tutela repellendam non eſſe, cùm enim exuberantiſſima erga liberos affectio matri ineſſe præſumatur, mater nudâ teſtatoris prohibitione à tutela non repellitur, *juxta theſ. priorem.*

CASUS DCCXC.

X. 33. Creditor Titii tutor datur præmentionati Titii filio impuberi, X. tutelam ſuſcipit, inventarium omnium bonorum & creditorum erigit,

erigit, juramentum præſtat, & ſatisdat, quæritur, an X. creditum ſuum amiſerit? Reſpondeo: Creditum ſuum non amiſiſſe, licèt enim tutor, creditor pupilli, diſſimulans creditum, illud regulariter amittat, pœna tamen ceſſat, ſi creditum ad inventarium referri curaverit, quæ relatio doli præſumptionem excludit, *juxta theſ. 937.*

CASUS DCCXCI.

Y. 33. Tutor Titii impuberis, in ſtudiis alimentandi, aliis mediis deficientibus fundum cum decreto Judicis alienat, & pretium in ſuſtentationem pupilli convertit, quæritur, an alienatio ſubſiſtat? Reſpondeo: Alienationem ſubſiſtere, quia tutor non tantùm ob urgens æs alienum, ſed & cauſam ſtudiorum, adhibitis ſolemnitatibus res pupilli immobiles diſtrahere poteſt, cùm præſente hâc causâ tutor neceſſitatem pupilli promoveat, *juxta theſ. 938.*

CASUS DCCXCII.

Z. 33. Tutor domum pupilli avitam, fructificantem annuos 30. imperiales, cum Judicis decreto vendit 2000. imperial., quæritur, an venditio teneat? Reſpondeo: Venditionem non tenere, nam ob ſolam utilitatem tutori non licet res immobiles pupilli alienare, utpote quæ inter cauſas diſtractionum non numeratur, *juxta theſ. 938.*

CASUS DCCXCIII.

A. 34. Præter ſundum ad Mevium pupillum pertinentem, prævià cauſæ cognitione, & visâ neceſſitate per haſtam publicam diſtraxit, pupillus majorennis factus alienationem impugnat, quæritur, an rectè, & ex quo remedio? Reſpondeo: Pupillum majorennem factum alienationem impugnare poſſe, præſentia enim Magiſtratûs non ſupplet tutoris authoritatem in iis, quibus præter hanc decretum neceſſarium eſt, *juxta theſ. 939.*

CASUS DCCXCIV.

B. 34. Tutor pro pupillo agente annum decimum emit fundum Tusculanum 1000. à Mevio, Mevius in anno undecimo intentat actionem contra B. ad pretium, quæritur, an, & qualem B. habeat exceptionem? Reſpondeo: B. exceptionem nonhabere, tutor enim nomine pupilli contrahens, durante officio rectè convenitur, ut ex bonis pupilli ſolutionem procuret, utpote cujus nomine hoc tempore egiſſe cenſetur, *juxta theſ. 940.*

CASUS DCCXCV.

C. 34. Hæres tutoris in propriis negligens paterf. tutelam continuat, & exactam diligentiam omittendo pupillum damnificat, quæritur, an pupillus contra C. habeat actionem? Reſpondeo: Pupillum contra C. actionem non habere, ſi enim hæres geſtionem tutelæ continuat, tenetur tantùm de dolo & lata culpa, cùm negotii author non ſit, *juxta theſ. 941.*

CASUS DCCXCVI.

D. 34. Tutrix filii ſui impuberis ad ſecundas nuptias provolat, & educationem pupilli ſibi relinquendam eſſe ſuſtinet, quæritur, an jure?

Reſpondeo: Tutricem filii ſui impuberis, ſaltem de Jure civili, non rectè ſuſtinere ſibi educationem pupilli relinquendam eſſe, utpote quod matrem, ſecundas nuptias celebrantem, affectionem erga liberos depoſuiſſe præſumit, licèt de praxi, ubi matri uſusfructus in bonis liberorum competit, plerumque contrarium obſervetur, niſi cauſæ graves per Judicem examinandæ adſint, tunc enim ex uſufructu tenetur liberis alimenta præſtare, *juxta theſ. 942.*

CASUS DCCXCVII.

E. 34. Scripſit Titium hæredem ad hujus relationem, fratrem teſtatoris mortuum eſſe in prælio: ſuppoſito, has circumſtantias probari poſſe, quæritur, an, & qualis fratri reverſo competat contra hoc teſtamentum actio? Reſpondeo: Fratri reverſo competere nullitatis actionem, cùm enim teſtamentum, ad doloſas perſuaſiones factum, liberam teſtatoris voluntatem adimat, ipſo Jure nullum eſt, *juxta theſ. 943.*

CASUS DCCXCVIII.

F. 34. Filium habens Mevium privilegio teſtandi, uti volens, propriâ manu teſtamentum ſcribit, ſubſcribit, nec non die & Conſule munit, atque Titium ſcribit hæredem, quæritur, an, & qualis Mevio detur actio? Reſpondeo: Mevio dari contra teſtamentum nullitatis actionem, quia liberi, etiam in teſtamento privilegiato parentum, hæredes ſunt inſtituendi aut nominatim exhæredandi, ad hoc, ut fictum liberorum in parentum bona condominium in illos aut continuetur per hæredis inſtitutionem, aut præſcindatur per juſtam exhæredationem, *juxta theſ. 944.*

CA-

CASUS DCCXCIX.

G. 34. Titium ita ſcripſit hæredem : *Titius hæres meus eſto, ſi voluerit*, quæritur, an Titio volente inſtitutio ſubſiſtat? Reſpondeo : Inſtitutionem ſubſiſtere, Titio volente, quia hoc modo hæredis nominatio non in tertii, ſed hæredis arbitrio collocatur, *juxta theſ.* 947.

CASUS DCCC.

H. 34. Mevium hoc modo hæredem inſtituit : *Mevius hæres meus eſto, ſi Confeſſarius meus voluerit*, quæritur, an teſtamentum Confeſſario volente ſubſiſtat? Reſpondeo : Teſtamentum Confeſſario volente non ſubſiſtere, quia, cùm teſtamentum ſit voluntatis noſtræ juſta ſententia de omni eo, quod quis poſt mortem fieri vult, in tertii arbitrio hæredis nominatio collocari nequit, *juxta theſ.* 947.

CASUS DCCCI.

I. 34. Condit teſtamentum hâc formulâ : *Sempronius hæres meus eſto, ſi Cajus religionem ingreſſus fuerit*, quæritur, an Cajo religionem ingreſſo, Sempronius hæres ſit? Reſpondeo : Cajo religionem ingreſſo, Sempronium hæredem eſſe, quia talis inſtitutio non pendet ab alieno arbitrio directè, ſed tantùm indirectè, quod Jura non improbant, *juxta theſ. priorem.*

CASUS DCCCII.

K. 34. Me inſtituit hæredem, ſi teſtatori epitaphium exſtrui fecero, & ſi hæres non fuero, Mevium mihi ſubſtituit, hæreditatem adeo, & epitaphium exſtruere detrecto, quæritur, an Mevius ſubſtitutus hæreditatem poſſit petere? Reſpondeo : Mevium ſubſtitutum hæreditatem petere poſſe, licèt enim aditâ hæreditate ſubſtitutio vulgaris regulariter exſpiret, ob contumaciam tamen hæredis, voluntatem defuncti non adimplentis, hæreditas ad ſubſtitutum redit, *juxta theſ.* 948.

CASUS DCCCIII.

L. 34. Juris utriusque Doctor & Advocatus me extraneum in teſtamento propriâ manu con - & ſubſcripto nominat hæredem, Cajus proximior teſtatoris conſanguineus teſtamentum impugnat, quæritur, an rectè, & quali actione? Reſpondeo Cajum proximio-

rem conſanguineum teſtamentum actione nullitatis rectè impugnare, ſiquidem privilegium teſtandi militare non pertinet ad Doctores, utpote in quibus præſumptio non eſt, quòd ob expeditionem bellicam impediantur, quò minùs ſolennitates ad teſtamentum requiſitas adhibeant, *juxta theſ. 949.*

CASUS DCCCIV.

M. 34. Nullos habens filios legitimos, ſed duos *naturales tantùm*, condit teſtamentum propriâ manu ſubſcriptum, nec non die & conſule munitum, & hos filios naturales hæredes ſcribit univerſales, frater teſtatoris germanus teſtamentum impugnat, quæritur, an jure, & quâ actione? *Reſpondeo:* Fratrem teſtatoris germanum jure teſtamentum impugnare actione nullitatis, cùm enim pater reſpectu natutalium certus non ſit, hinc pariter ex privilegio ipſi teſtari non licet, *juxta theſ. 949.*

CASUS DCCCV.

N. 34. Volens condere teſtamentum coram quinque teſtibus, ita dicit: *Titius hæres meus eſto, Mevio do lego mille, Cajo mille*, proximior teſtatoris conſanguineus hoc teſtamentum impugnat, quæritur, an, & quali actione? Reſpondeo: Proximiorem teſtatoris conſanguineum teſtamentum hoc validè impugnare mediante nullitatis querelâ, diſpoſitio enim ejus, qui teſtamentum facere voluit, neque ſolennitates ad hoc neceſſarias adhibuit, non ſubſiſtit in vim codicilli, niſi clauſula codicillaris foret appoſita, aliàs enim, quod voluit, non potuit; quod potuit, non voluit, *juxta theſ. 951.*

CASUS DCCCVI.

O. 34. Teſtamentum ſuum Titio Notario dictavit, quo, Mevio ſcripto hærede, legavit Notario mille, Titius contra hæredem agit ad conſequendum legatum, quæritur, qualem hæres habeat exceptionem? Reſpondeo: Hæredem habere exceptionem incompetentis actionis ad legatum conſequendum, quia teſtamenti ſcriptoribus legatum non rectè relinquitur, licèt ipſo teſtatore dictante, ne fraus, quæ in tali caſu non abſurdè præſumitur, locum habeat, *juxta theſ. 952.*

C A-

CASUS DCCCVII.

P. 34. Sempronio inſtituto hærede, legavit mihi fundum Tuſculanum, & 1. Auguſti 1731. moritur, 2. ejusdem fructus percipiuntur, & tertiâ Sempronius hæreditatem adit, ego ago ad fundum unà cum fructibus perceptis conſequendum, quæritur, an mea actio ſit fundata? Reſpondeo: Actionem meam fundatam non eſſe, nam verius eſt fructus demùm à tempore aditæ hæreditatis deberi, cùm legatum neceſſariò præſupponat hæredem, *juxta theſ. 953.*

CASUS DCCCVIII.

Q. 34. Debet filiæ mille ex cauſa dotis, & mihi mille ex mutuo, Q. utrique noſtrûm legat mille, agimus contra hæredem inſtitutum Cajum ad legata noſtra conſequenda, quæritur, an, & qualem habeat exceptionem? Reſpondeo: Hæredem exceptionem non habere, quia legatum cum debito neque neceſſario, neque voluntario compenſatur, niſi de animo teſtatoris compenſare volentis conſtet, requiritur enim expreſſus animus compenſare volentis ad hoc, ut compenſatio actum ſecundum inducat, *juxta theſ. 954.*

CASUS DCCCIX.

R. 34. Legavit tibi ſtudiis occupato alimenta, Mevio hærede ſcripto, tu agis contra Mevium ad conſequendos ſumptus ſtudiorum, quæritur, an actio ſit legibus conformis? Reſpondeo: Tuam actionem legibus conformem non eſſe, ratio eſt, quòd ſub legato alimentorum non contineantur ſumptus ſtudiorum, cùm in legatis non recedatur à proprietate verborum, *juxta theſ. 956.*

CASUS DCCCX.

S. 34. Habens in bonis 12000. imperial. Titium & Mevium inſtituit hæredes, Sempronio legavit 6000. Cajo 3000. & Titio mortis causâ donavit 3000., quæritur, in quid Titius, in quid Mevius, & in quid legatarii Sempronius & Cajus poſſint intentare actionem?

Reſpondeo: Titium actionem intentare poſſe ad 3750., Mevium ad 1500., Legatarios Sempronium ad 4500. & Cajum ad 2250. quia falcidia non tantùm à legatis, verùm etiam mortis causâ donationibus detrahitur, ita tamen ut in illam imputentur, quæcunque hæres jure hæreditario habet, *juxta theſ. 960.*

CASUS DCCCXI.

T. 34. Titium agnatum hæredem nominavit, & cavit, ut bona in familia maneant, Titius condidit teſtamentum, & me extraneum inſtituit hæredem, quæritur, an Mevius de Familia habeat actionem, & qualem? Reſpondeo: Mevium de Familia contra me habere actionem invalidæ inſtitutionis, ex eo, quòd tacitum fideicommiſſum ex conjecturis hoc caſu inductum ſit, proindeque vi hujus fideicommiſſi alienatio extra familiam facta non ſubſiſtat, *juxta theſ. 961.*

CASUS DCCCXII.

V. 34. Inſtituit me hæredem, & commendavit mihi, ut mille reſtituerem Parochiæ meæ, Parochia contra me inſtituit actionem; quæritur, an actio locum habeat? Reſpondeo: Actionem locum non habere, nam per verbum: *Commendo*, nequidem ad pias cauſas fideicommiſſum inducitur, quia verbum hoc neque continet teſtatoris petitionem, neque mandatum, quo mediante mille poſt mortem Parochiæ reſtituendi ſint, *juxta theſ. 961.*

CASUS DCCCXIII.

W. 34. Habens prædia tria, unum valens 4000. alterum 5000. & tertium 3000., inſtituit me hæredem, & jubet, ut reſtituam Mevio, quod reliquum fuerit tempore mortis meæ, ego primum prædium vendo, & alterum in teſtamento meo do lego Ulpiano, Mevius contra hæredem meum intentat actionem, quæritur, an rectè, & ad quid actio competat? Reſpondeo: Mevium contra hæredem meum rectè agere ad conſequendum alterum prædium, Ulpiano in teſtamento relictum, ſiquidem diſpoſitio per ultimam voluntatem locum non habet, quia tunc tale relictum, tanquam poſt mortem exiſtens, reſtituendum venit, *juxta theſ. 963.*

CASUS DCCCXIV.

X. 34. Habens in bonis ſuis 12000. imperial., & præter filiam tres filios, X. filiæ dotem conſtituit ad 9000. imper., X. mortuo tres filii agunt contra ſororem ad dotem conferendam, ipſa renuntiat hæreditati paternæ, quæritur, an ad collationem teneatur, aut quo juris remedio actoribus ſit conſultum? Reſpondeo: ream ad collationem non teneri, eò quòd hæreditati paternæ renuntiaverit, actoribus tamen querelâ inofficioſæ donationis conſultum eſſe, cùm enim in caſu reliquis liberis

liberis legitima ſalva non ſit, proindéque inæqualitas oriatur, fratres contra ſororem hanc querelam ad inæqualitatem evitandam jure intentant, *juxta theſ. 967.*

CASUS DCCCXV.

Y. 34 Habens patrem Titium, & fratrem Mevium, moritur, Titius contra Mevium intentat actionem familiæ herciſcundæ, Mevius opponit exceptionem, conferendi profecta ad actorem ex bonis defuncti, quæritur, an exceptio ſit fundata? Reſpondeo: Exceptionem fundatam non eſſe, quippe aſcendentes deſcendentibus ad collationem non tenentur, cùm fictum condominium quoad bona hæreditaria non habeant, ſicuti deſcendentes, *juxta theſ. 967.*

CASUS DCCCXVI.

Z. 34. Habens duos filios Cajum & Sempronium, condit teſtamentum, & utrumque in partibus æqualibus inſtituit hæredem; Cajus contra Sempronium intentat actionem familiæ herciscundæ; Sempronius excipit actorem ad collationem teneri, eò quòd teſtator eidem 1000. ex liberalitate donaverit, quæritur: an exceptio locum habeat?

Reſpondeo: Exceptionem locum habere, quia hodie non tantùm collatio locum habet ex teſtamento, *juxta theſ. 967.* verùm etiam ſimplex donatio, jure ſaltem noviori, regulariter confertur, *juxta theſ. 969.*

CASUS DCCCXVII.

A. 35. Habens duos filios Petrum & Paulum, illum ſtudiis applicat, & expenſas libro rationario intulit, hunc matrimonio jungit, & ſumptus in feſtivitatem nuptialem erogatos non annotavit, quæritur, an in diviſione hæreditatis paternæ exceptio mutuæ collationis locum habeat? Reſpondeo: Exceptionem mutuæ collationis in hæreditatis diviſione locum non habere, licèt enim ſumptus ſtudiorum non immoderati, nec malè collocati regulariter non conferantur, ſecus tamen eſt, ſi pater animo credendi, ùt in caſu patet, has expenſas fecerit, hinc Petrus ſtudiis applicatus tenetur ad collationem; non autem Paulus matrimonió junctus, ſumptus enim in feſtivitatem nuptialem facti, ob favorem matrimonii, regulariter collationi non ſubjacent, *juxta theſ. 968.*

CASUS DCCCXVIII.

B. 35. Filios duos Ulpianum & Marcellum, & ex Ulpiano habens

 nepo-

nepotem, Ulpiano conſtituit donationem propter nuptias, Ulpianus moritur primò, deinde B., nepos hæreditatem patris repudiat, quæritur, an in diviſione hæreditatis per B. relictæ, nepoti objici poſſit exceptio collationis? Reſpondeo: In diviſione hæreditatis per B. relictæ nepoti objici non poſſe exceptionem collationis, licèt enim regulariter donatio propter nuptias in collationem veniat, fallit tamen concluſio, nepote, repudiatâ patris hæreditate, avo ſuccedente, cùm enim ex hæreditate patris ad nepotem nihil pervenerit, hinc de praxi verior eſt ſententia, illum profecta ad patrem ex avi patrimonio non conferre, *juxta theſ. 967. & 969.*

CASUS DCCCXIX.

C. 35. Uſufructuarius fundi Tuſculani dominantis, ædificanti in fundo ſerviente, quo ſervitus impeditur, nuntiat novum opus, quæritur, an rectè? Reſpondeo: Uſumfructuarium fundi Tuſculani dominantis non rectè nuntiare novum opus ædificanti in fundo ſerviente, quo ſervitus impeditur, quia uſufructuarius neque dominium aut quaſi habet, neque conſtitutam hypothecam, quod tamen requiritur ad nuntiationem proprio nomine faciendam, hinc procuratorio nomine ab uſufructuario tantùm novum opus nuntiandum eſt, *juxta theſ. 974.*

CASUS DCCCXX.

D. 35. Domum Cornelianam ruinoſam emit à non Domino, quem Dominum eſſe credebat, vicinus agit contra D. ad præſtandam cautionem de damno infecto, quæritur, an D. de damno infecto cavere poſſit? Reſpondeo: D. de damno infecto cavere poſſe, cùm enim bona fides ſit loco dominii, B. F. poſſeſſori etiam de damno infecto cavere licet, *juxta theſ.* 974.

CASUS DCCCXXI.

E. 35. In ſuo fundo opus habet, ex quo aqua in meam cellam influit, quæritur, an ego cautionem de damno infecto poſſim exigere?

Reſpondeo: Me cautionem de damno infecto exigere poſſe, quia cùm per tale opus pariter vicino damnum inferatur, & impoſterum metuatur, actio aquæ pluviæ arcendæ dicta etiam in hoc caſu locum habet, *juxta theſ. 975.*

CASUS DCCCXXII.

F. 35. Vehendas habens & merces meas & proprias, neutras indicat, quæritur, an meæ committantur? Reſpondeo: meas quoque committi, ſi auriga neque vectigal de illis ſolverit, quia hoc facto incurrunt pœnas fraudati vectigalis, *juxta theſ. priorem.*

CASUS DCCCXXIII.

G. 35. Donavit mihi majorem partem bonorum, & liberos ſuſcipit, quæritur, an liberis vivo G. decedentibus donatio reviviſcat? Reſpondeo: Liberis vivo G. decedentibus donationem non reviviſcere, donatio enim magnæ æſtimationis rerum ob ſupervenientiam liberorum adeò revocatur regulariter, ut nec convaleſcat, licèt liberi vivo donatore deceſſerint, ratio eſt, quòd, cùm donatio inter vivos pactum ſit, obligatio non inducatur, niſi de animo donatoris de novo conſtet obligationem inducendi, *juxta theſ. 976.*

CASUS DCCCXXIV.

H. 35. Princeps conceſſit mihi caſtrum cum Jure venandi, venor apros & cervos, quæritur, an Princeps me poſſit prohibere? Reſpondeo: Principem me prohibere poſſe, caſtro enim alicui conceſſo cum Jure venandi, ſola inferior venationis ſpecies conceſſa cenſetur, quia in dubio pronuntiandum eſt in Principis favorem, qui ſuperiorem venationis ſpeciem ſibi reſervare præſumitur, *juxta theſ. 977.*

CASUS DCCCXXV.

I. 35. Poſſidet fundum illimitatum flumini vicinum, in æſtimo allibratum ad decem imperiales, & continentem decem jugera, flumine ſenſim recedente fundus augetur ad duodecim, quæritur an ad imperiales allibrari poſſit? Reſpondeo: Fundum ad duodecim imperiales allibrari poſſe, ſiquidem tributa conſtituuntur pro quantitate fructuum, jam autem, fructibus per alluvionem auctis, tributa pariter augeri poſſunt, *juxta theſ. priorem.*

CASUS DCCCXXVI.

K. 35. Creditor ex primo decreto in poſſeſſionem fundi Tuſculani immiſſus intentat contra Mevium turbatorem interdictum: *Uti poſſidetis*, quæritur, an interdicto locus ſit: Reſpondeo: Interdicto

locum

locum non eſſe, quia detentio creditoris, ex primo decreto in poſſeſſionem miſſi, non eſt vera poſſeſſio, utpote ad quam non tantùm requiritur animus rem poſſidendi, ſed etiam ſibi retinendi, *juxta theſ. 978.*

CASUS DCCCXXVII.

L. 35. Per 10. annos bonâ fide, & juſto titulo habili ad dominium transferendum, poſſedit fundum Titii præſentis, at ignorantis, quæritur, qualis Titio agenti rei vindicatione poſſit opponi exceptio? Reſpondeo: Titio rei vindicatione agenti exceptionem præſcriptionis opponi poſſe, præſcriptio enim contra ignorantem currit longo tempore, quamvis & tunc ignoranti & petenti, tanquam ſine cauſa læſo, remedio reſtitutionis in integrum proſpectum ſit, *juxta theſ. 979.*

CASUS DCCCXXVIII.

M. 35. Habet contra me ſententiam in rem judicatam prolapſam, Judicem nullo libello oblato implorat pro executione, ego oppono exceptionem non oblati libelli, Judex nullâ litis conteſtatione factâ pronuntiat, judicatum eſſe exequendum, quæritur an juſtè? Reſpondeo: Judicem juſtè pronuntiare, judicatum exequendum eſſe, quia hodie pro executione rei judicatæ datur imploratio nobilis officii Judicis ſine novo proceſſu, abſque libello & litis conteſtatione, per qualemcunque interpellationem, dum in foro hodierno magìs ad ſimplicitatem Juris gentium, quàm ad Jus Romanum, in hoc paſſu attenditur, *juxta theſ. 980.*

CASUS DCCCXXIX.

N. 35. Convenit Mevium in Judicio ex mutuo 1000. Imper. Mevius opponit exceptionem compenſationis, Judex fert ſententiam condemnatoriam contra Mevium, quâ in rem judicatam prolapsâ, & N. pro executione inſtante, Mevius repetit compenſationis exceptionem, & ſuſtinet per hanc paratam executionem remorari, quæritur, an executio ſit ſuſpendenda? Reſpondeo: Executionem ſuſpendendam non eſſe, quia licèt exceptio compenſationis in ipſo executionis actu à Mevio oppoſita fuerit, priùs tamen de illa Judici jam conſtitit, proindéque tanquam ab hoc diſcuſſa executionem ampliùs retinere non valet, *juxta theſ. eand.*

CASUS DCCCXXX.

O. 35. Pulſatus in judicio ex ſtipulatione ad ſolvendos 1000. comparet, & ſtipulationem fatetur, quæritur, an Judex contra O. executivè poſſit procedere? Reſpondeo: Judicem contra O. executivè procedere poſſe, moribus enim noſtris contra confeſſum ante litis conteſtationem vi propriæ confeſſionis executivè proceditur, *juxta theſ. 981.*

CASUS DCCCXXXI.

P. 35. Obæratus debitor, bonis ſuis decoctis, pulſatur à creditoribus, & convolat ad beneficium ceſſionis bonorum, nec non competentiæ, quæritur, an Judex debitorem poſſit, & debeat ad hoc beneficium admittere? Reſpondeo: Judicem nec debere, nec poſſe debitorem ad hoc beneficium admittere, cùm enim fraus, & decoctionis vitium in jure favorem non mereantur, hinc per conſequens neque juris beneficia decoctoribus fraudulentis patrocinantur, *juxta theſ. priorem.*

CASUS DCCCXXXII.

Q. 35. Creditor meus miſſus ex ſecundo decreto in fundum Tuſculanum, fructus ex eodem percepit, & in proprios uſus convertit, ego contra Q. intento actionem, ad præſtandum rationes & reliqua, quæritur, an jure? Reſpondeo: Me actionem contra Q., ad præſtandum rationes & reliqua, jure intentare, nam licèt creditor, ex ſecundo decreto in bona immiſſus, fiat verus poſſeſſor, ita, ut fructus non tantùm percipere, ſed etiam in ſuos uſus convertere poſſit, idq; ob non præſtitam à debitore expenſarum refuſionem & cautionem de lite infra annum de Jure Canonico ſuſcipienda, *juxta theſ. 982.* Attamen hoc ipſo à rationum præſtatione non liberatur.

CASUS DCCCXXXIII.

R. 35. Habens in bonis 12000., & tot in debitis, inſtituit Mevium hæredem, habentem in patrimonio 6000., & 12000. in debitis, aditâ hæreditate, Mevii creditores inſtituunt concurſum, quæritur, quo remedio creditoribus R. conſuli poſſit? Reſpondeo: Separationis remediô creditoribus R. conſuli poſſe, quo nimi-

rùm petunt defuncti creditores, ut bona ejusdem ſegregentur à bonis hæredis propriis, ad effectum hunc, ut ſibi ſolis exinde ſatisfiat, taléſque creditores ſtatim extra concurſum ſeparantur, mediante beneficio mox allegato, *juxta theſ.* 983.

CASUS DCCCXXXIV.

S. 35. Tenetur ex commodato primo, ſecundo ob impenſas in funus factas, tertio ob mercedem famulitiam, inſtituitur concurſus, quæritur, an primus, an ſecundus in claſſificatione ſit præferendus?

Reſpondeo: Primum in claſſificatione ſecundo præferendum eſſe, cùm enim commodans dominium rei ſibi reſervet, Jure illius ſtatim extra concurſum ab aliis creditoribus ſeparatur *juxta theſ. eand.*

CASUS DCCCXXXV.

T. 35. Debet primo mille ex cauſa impenſarum in funus uxoris factarum, ſecundo ex cauſa mercedis famulitiæ, tertio ex capite hypothecæ judicialis, quæritur, ubi primus ſit claſſificandus? Reſpondeo: primum in prima claſſe ponendum eſſe reſpectu creditoris ex capite mercedis famulitiæ, & conſtitutæ hypothecæ, in ſecunda autem reſpectu creditorum, vel per diviſionis beneficium, aut Jus dominii ſeparatorum, *juxta theſ.* 983.

CASUS DCCCXXXVI.

V. 35. Primo obligatur ad 100. ex cauſa mercedis famulitiæ, & ad quinque ex capite promiſſarum uſurarum, ſecundo ad 100. ex hypotheca, & tertio ex depoſito, quæritur, in qua claſſe primus ſit collocandus? Reſpondeo: Primum in tertia claſſe collocandum eſſe, mercedes enim famulorum de conſuetudine privilegiatæ ſunt, ſi pro debito uſuras à Domino non perceperint, *juxta theſ. priorem.*

CASUS DCCCXXXVII.

W. 35. Hypothecam propria debitoris manu ſubſcriptam, & ſigillatam habet ex anno primo, Mevius ex anno ſecundo Judicis authoritate roboratam, quæritur, an W. Mevio ſit præferendus? Reſpondeo: W. Mevio præferendum non eſſe, nam regula: *Qui prior tempore, potior eſt Jure*, locum non habet in caſu concurrentis hypothecæ publicâ authoritate conſtitutæ, *juxta theſ.* 984.

CA-

CASUS DCCCXXXVIII.

X. 35. Campſor habens in bonis duo millia, debet mihi mille ex depoſito conſumpto, tibi mille ex mutuo, Mevio mille ex ſtipulatu, quæritur, quantum ego per ſententiam graduationis ſim conſecuturus? Reſpondeo: Me per ſententiam graduationis mille conſecuturum eſſe, quippe perſonali Privilegio ante alios creditores gaudent deponentes apud menſam nummulariam, ſi pecunia conſumpta ſit, *juxta theſ. priorem.*

CASUS DCCCXXXIX.

Y. 35. Declaravit ultimam ſuam voluntatem, qua me ſcripſit hæredem verbis nuncupativis, & rogavit Notarium coram teſtibus requiſitis, ut in ſcripturam redigeretur, ego inſtrumentum tale, nullo vitio externo laborans, produco coram Judice, & immiſſionem in hæreditatem, ab Y. relictam, peto, quæritur, an, & quale remedium ſit fundatum? Reſpondeo: Remedium *Leg. fin. C. de edict. D. Hadr. toll.* fundatum eſſe, utpote quod ob rationis identitatem in teſtamento nuncupativo æquè, ac ſcripto locum habet, *juxta theſ. 985.*

CASUS DCCCXL.

Z. 35. Conduxit à me prædium Tuſculanum, & pro ſecuritate penſionis oppignorat mihi fundum ſuum Cornelianum, fundum vendit Titio, ego ob reſtans locagium adeo Judicem pro adipiſcenda fundi Corneliani poſſeſſione, quæritur, an, & quo remedio agere poſſim? Reſpondeo: Me remediô interdicti Salviani agere non poſſe, quod interdictum ſaltem utile, licèt quibuscunque creditoribus competat, ad hoc, ut actor rei pro ſecuritate locagii ſibi hypothecatæ poſſeſſor declaretur, & reus condemnetur ad illius deoccupationem, *juxta theſ. eandem*, attamen contra tertium bonæ fidei poſſeſſorem non datur *juxta theſ. 985.*

CASUS DCCCXLI.

A. 36. Me è poſſeſſione fundi Tuſculani violenter dejecit in anno primo, ego in anno tertio A. turbo in poſſeſſionis exercitio, in anno quarto A. intentat contra me interdictum, quæritur, an ſit fundatum, aut qualis mihi competat exceptio? Reſpondeo: Mihi competere non competentis interdicti *Uti poſſidetis* exceptionem, licèt enim ad

contentiones & arma inter partes evitanda, interdictum hoc quoque ad injuſtam poſſeſſionem ſe extendat, fallit tamen concluſio, ſi ab adverſario, uti in caſu patet, poſſeſſio quæſita ſit, *juxta theſ. 986.*

CASUS DCCCXLII.

B. 36. Ejecit me cum violentia è poſſeſſione fundi Tuſculani, B. fundum vendidit Titio, ſcienti violentam dejectionem, ego contra Titium intento interdictum, quæritur, an, & quale interdictum ſit fundatum? Reſpondeo: Interdictum *unde vi* fundatum eſſe, nam cùm mala fides de nullo jure patrocinium mereatur, hinc Jus Canonicum interdictum hoc etiam concedit contra tertium malæ fidei poſſeſſorem, *juxta theſ. eand.*

CASUS DCCCXLIII.

C. 36. Pulſat me in Judicio actione mutui, ego oppono exceptionem ſolutionis, Judex mihi injungit exceptionis probationem, quæritur, an Judex rectè proceſſerit? Reſpondeo: Judicem non rectè proceſſiſſe, quia reus, negans actoris intentionem, aut eandem neque negans, neque confitens, & exceptionem peremptoriam obmovens, eandem non tenetur ſtatim probare, ſiquidem in tali caſu actoris eſt illam intentionem probare, *juxta theſ. 987.*

CASUS DCCCXLIV.

D. 36. Hypothecavit mihi fundum Tuſculanum, & vendidit Mevio in anno primo, Mevius credens fundum eſſe à nexu hypothecæ liberum, poſſeſſionem continuat ad annum 30., anno 31. ego contra Mevium intento hypothecariam, quæritur, an, & qualis Mevio competat exceptio? Reſpondeo: Mevio competere præſcriptionis exceptionem, ſiquidem exceptio hæc quoque hypothecariæ contra tertium, hypothecam bonâ fide poſſidentem, intentatæ, ab hoc opponi poteſt, hypothecariæ enim, ſicuti & aliis actionibus, præſcribitur tempore juridicè perpetuo, ſuppoſitis cæteris præſcriptionis requiſitis, *juxta theſ. priorem.*

CASUS DCCCXLV.

E. 36. Fidejuſſor habens con-fidejuſſores, à Titio convenitur in judicio ex fidejuſſione, debitore principali nondum excuſſo, E. comparet, & negat actoris intentionem, productô originali fidejuſſionis inſtrumentô, & recognitô, E. allegat debitorem principalem nondum eſſe excuſſum,

excuſſum, & eſſe con-fidejuſſores, quæritur, an exceptiones ſint audiendæ, an rejiciendæ? Reſpondeo: Exceptionem excuſſionis, ſeu ordinis audiendam eſſe, cùm de praxi, tanquam ſuo modo peremptoria quoque poſt litem conteſtatam opponi queat; quoad alteram, nimirum diviſionis, dico illam rejiciendam eſſe, de praxi enim dilatoriis adſcribitur, & conſequenter ante litem conteſtatam opponenda eſt, *juxta theſ. 989.*

CASUS DCCCXLVI.

F. 36. Fidejuſſor ex fidejuſſione condemnatus creditori debitum ſolvit, deinde provocat ad beneficium cedendarum actionum, quæritur, an beneficio locus ſit? Reſpondeo: Huic beneficio locum eſſe, cùm enim nemini præjudicium afferat, hinc à Doctoribus receptum eſt, illud quoque poſt ſolutionem factam locum habere, *juxta theſ. eand.*

CASUS DCCCXLVII.

G. 36. Inquiſitus de homicidio, & interrogatus, utrùm Titium occiderit? Reſpondet, ſe hoc non credere, quæritur, an reſponſio ſit legitima, aut quid Judex debeat reo injungere? Reſpondeo: Reſponſionem legitimam non eſſe, & judicem debere reo injungere, quatenus categoricè reſpondeat, quia in cauſis criminalibus, cùm facta aliena non adſint, nemo de proprio facto dubitare præſumitur, *juxta theſ. 992.*

CASUS DCCCXLVIII.

H. 36. Ex cauſa furti carceri mancipatur, interrogatus de delicto, illud diffitetur, & ob ſufficientia indicia, nondum conſtitô de corpore delicti, torturæ ſubjicitur, quæritur, an proceſſus ſit ritè ventilatus? Reſpondeo: Proceſſum ritè ventilatum non eſſe, ratio eſt, quòd contra inquiſitum, crimen diffeſſum, ad torturam non procedatur, niſi de corpore delicti permanentis liquidè conſtet, & tranſeuntis per legitima indicia, *juxta theſ. 993.*

CASUS DCCCXLIX.

I. 36. Ob præſentiam in loco commiſſi homicidii apprehenditur tanquam reus, & lite negativè conteſtata torquetur, quæritur, an rectè? Reſpondeo: Reum non rectè torqueri, quippe remota

 indi-

indicia ex fama, vitâ anteactâ, præſentiâ in loco delicti &c. orta, ad torturam ſingula non ſufficiunt, licèt conjuncta eidem aliquando locum faciant, *juxta theſ. 994.*

CASUS DCCCL.

K. 36. Torturæ ſubjectus, crimen capitale fatetur, confeſſio protocollatur, & prælecta à reo diffitetur, quæritur, 1mò, an reus poſſit ultimô ſuppliciô affici, 2dò, an alteri, imò tertiæ torturæ poſſit ſubſterni? Reſpondeo 1mò: Reum ultimô ſuppliciô affici non poſſe, quia confeſſioni, per reum tortum factæ, non ſtatur, niſi vera ſit, & poſt torturam legitimè ratificata; Reſpondeo 2dò: Reum etiam tertiæ torturæ ſubſterni poſſe, revocatio enim abſque novis indiciis dat locum alteri, & tertiæ torturæ, ſed non ultrà, uti in Conſtitutionibus Criminalibus expreſſum eſt, *juxta theſ. 995.*

CASUS DCCCLI.

L. 36. Ex vita anteacta, præſentiâ in loco delicti, & inculpatione occiſi tortus, crimen homicidii diffeſſus, alteri torturæ ſubſternitur, & crimen confeſſus, ad ultimum ſupplicium damnatur, quæritur, an ſententia ſit juſta? Reſpondeo: Sententiam juſtam non eſſe, quia, ſi reus tortus crimen confeſſus non ſit, abſque novis indiciis tortura repeti non poteſt, cùm indicia priora per primam torturam deleta ſint, *juxta theſ. prædictam.*

CASUS DCCCLII.

M. 36. Et ego cauſam ſuper Jure paſcendi egimus communem in Judicio, & ſuccubuimus, ego appello infra decendium, M. autem non, quæritur an M. in appellatorio agenti opponi poſſit exceptio deſertæ appellationis? Reſpondeo: M. in appellatorio agenti opponi non poſſe deſertæ appellationis exceptionem, licèt enim appellatio unius non proſit alteri, fallit tamen regula in pluribus litis conſortibus, ſi cauſa individua ſit, *juxta theſ. 996.*

CASUS DCCCLIII.

N. 36. Contra me obtinuit ſententiam partim abſolutoriam, partim condemnatoriam, N. appellat, ego autem non, N. cauſam in appellatorio introducit, quæritur, an ego quoque poſſim reformatoriam condemnatoriæ ſperare? Reſpondeo: Me quoque reformatoriam con-

condemnatoriæ ſperare poſſe, nam regula: *Appellatio unius alteri non prodeſt*, fallit denuò in parte appellatâ, modò infra decendium appellationi adhæſerit, *juxta theſ. alleg.*

CASUS DCCCLIV.

O. 36. Coram Conſilio Aulico Colonienſi me ex mutuo 2000. imperial. convenit, Conſilium me condemnat in 500., appello ad Conſilium Cæſareo-Aulicum, aut Cameram Imperialem, quæritur, an (ſuppoſitô privilegiô de non appellando ad 1000.) cauſa poſſit ad Dicaſterium Imperii devolvi? Reſpondeo: Cauſam ad Dicaſterium Imperii devolvi non poſſe, quia ad conſtituendam ſummam appellabilem attendenda eſt gravaminis, non autem actionis inſtitutæ ſumma; *juxta theſ. 998.*

CASUS DCCCLV.

P. 36. In judicio A. anno 1732. die 27. Aprilis condemnatus mihi in ſummam mutuatam in anno primo ad 500., & ex anno ſecundo ad 1400. appellat ad Cameram Imperialem, quæritur, an (ſuppoſitô prædictô privilegiô) cauſa poſſit eò devolvi? Reſpondeo: Cauſam eò devolvi poſſe, diverſæ enim ſummæ coacervantur ad conſtituendam ſummam appellabilem, ſi in una cauſa petantur, *juxta theſ. 998.*

CASUS DCCCLVI.

Q. 36. In ſummam 500. imperial., in anno 1700. mutuò acceptorum, condemnatus, appellat ad Conſilium Cæſareo-Aulicum, & pro conſtituenda ſumma appellabili deducit decurſas tanto tempore penſiones ad 800. imperial. excurrere, quæritur, an Conſilium Cæſareo-Aulicum (ſuppoſitô ſemper prædictô privilegiô) ſummam hanc tanquam appellabilem poſſit agnoſcere? Reſpondeo: Conſilium Cæſareo-Aulicum ſummam hanc tanquam appellabilem agnoſcere non poſſe, uſuræ enim, tanquam capitalis acceſſoria, ad conſtituendam Summam appellabilem non imputantur, *juxta theſ. priorem.*

C A-

CASUS DCCCLVII.

R. 36. Condemnatus eſt ex capite injuriarum in 400. atque ad recantationem, & ad Cameram appellat, quæritur, an cauſa pro devoluta ſit habenda? Reſpondeo: Cauſam pro devoluta habendam eſſe, quia in cauſis injuriarum, ubi reus condemnandus eſt ad palinodiam, propter perpetuum præjudicium famæ, ſumma non attenditur, *juxta theſ.* 998.

CASUS DCCCLVIII.

S. 36. datus Executor de reimmittendo Titium in poſſeſſionem fundi Tuſculani, & exmittendo Mevium, caſſat ſequeſtrum, aliàs appoſitum, quæritur, an ab hoc decreto poſſit appellari?

Reſpondeo: ab hoc decreto appellari poſſe, quippe ab executione ſententiæ appellatio conceditur, ſi Executor eandem malè interpretatus ſit, *juxtà theſ.* 999.

JURISPRUDENTIÆ ROMANO-GERMANICÆ PARS TERTIA

In proprias materiarum ſedes inquirens, & rariorum Textuum, tam ex Pandectis, quàm Codice deſumptorum Caſus reſolvens.

CASUS DCCCLIX.

T. 36. Pecuniam ſuam Titio credidit meo nomine, quæritur, an mihi quæratur actio, & qualis? Reſpondeo: Mihi quæri condictionem certi ex mutuo, nam certum eſt, & non dubitatur, quin, ſi meam pecuniam tuo nomine, voluntate tua dedero, tibi acquiratur obligatio, ergo etiam mihi, ſi tu pecuniam tuam meo nomine credideris, *juxta L. 9. ff. §. 8. de Reb. credit.* Ratio ſtat in eo, quia pecunia à T. per fictionem brevis manûs mihi, & deinde à me Titio credita cenſetur.

CASUS DCCCLX.

V. 36. Rogavit à me pecuniam, ego dedi eidem equum vendendum, ut pretio uteretur, quæritur 1mò, qualis ſit contractus? 2dò, quis, equô ante venditionem pereunte, periculum ſuſtineat? Reſpondeo 1mò: eſſe mutui contractum, utpote qui traditione brevis manûs, etiam rei fungibilis perficitur, 2dò: Equo ante venditionem pereunte, V. præſtare periculum, ſi enim non fuerim in propoſito hoc, ut equum venderem, ſed hæc cauſa fuerit vendendi, ut V. uteretur, ille præſtat caſum, quia tunc vertitur ſolius V. utilitas, præſertim, dum ſine uſuris credidi, *juxta L. 11. eod.* Ratio, quia ſi equus venalis fuerit, alteri etiam vendendus datus fuiſſet.

CASUS DCCCLXI.

W. 36. Chriſtianus detulit mihi Chriſtiano juramentum præſtandum per Apollinem, aut Dianam, quæritur, an ad jurandum tenear?

Reſpondeo: Me ad jurandum non teneri, quia, ſi quis illicitum jusjurandum detulerit, ſcilicet improbatæ religionis, pro eo habetur, ac ſi juratum non eſſet, *juxta L. 5. §. 3. de Jure jur.* Ratio eſt, quia juramentum non aliter eſt præſtandum, quàm juxta legem delationis, & relationis, per conſequens ſicut hoc juramentum referri non poteſt, ita neque hoc modo deferri.

CASUS DCCCLXII.

X. 36. Promiſit mihi ſtichum, qui morâ promiſſoris præcedente periit, ego contra X. ago ad æſtimationem, Judex defert mihi juramentum, quæritur, an, & quale locum habeat? Reſpondeo: Juramentum in litem locum habere, quia planè interdum & in actione ſtricti Juris in litem jurandum eſt, veluti ſi promiſſor Stichi moram fecerit, & Stichus perierit, cùm Judex æſtimare ſine relatione Jurisjurandi non poſſit rem, quæ non exſtat, *juxta L. 5. de in lit. jurando.*

CASUS DCCCLXIII.

Y. 36. Dedit mihi 10., ne illum in Judicio conveniam, antequam experior, exigit cautionem de non experiundo, quæritur, an Judex poſſit me ad cautionem condemnare? Reſpondeo: Judicem me ad cautionem condemnare non poſſe, quia antequam ego E. in judicio non convenio, momento quolibet contractus adimpletur, jam autem contractu adimpleto condictio locum non habet, *juxta L. 3. de cond. cauſ. dat. cauſ. non ſecut.*

CASUS DCCCLXIV.

Z. 36. Accepit pecuniam, ut malè judicaret, quæritur, an, ſi Z. benè judicaverit, dans poſſit pecuniam repetere, & quali actione?

Reſpondeo: ſi Z. benè judicaverit, dantem pecuniam condictione ob turpem cauſam repetere non poſſe, cùm enim in caſu & turpitudo dantis & accipientis verſetur, condictioni huic locus non eſt, utpote que requirit cauſam reſpectu ſolius accipientis indecoram, *juxta L. 3. de condict. ob turp. cauſ.*

CASUS DCCCLXV.

A. 37. Debet mihi mille ex mutuo, nullis ſtipulatis uſuris, A. ſolvit mihi uſuras ad 5. in ſingula centum, & condictionem inſtituit, quæritur, an, & qualem poſſit intentare? Reſpondeo: A. condictionem indebiti intentare non poſſe, nam ſi non ſortem quis, ſed uſuras indebitas ſolvit, illas repetere non poterit (modò immodicæ non ſint) quippe tunc, quod præter Capitale ſolvitur, non tanquam uſura, ſed grati animi teſſera conſideratur, *juxta L. 26. de condict. indeb.*

CASUS DCCCLXVI.

B. 37. Legavit mihi equum, Titius, fur equi, à me convenitur ad equum reſtituendum, quæritur, an actio ſit fundata, & qualis?

Reſpondeo: Condictionem furtivam fundatam non eſſe, cùm enim legatario res ſubrepta non ſit, condictionem hanc inſtituere non poteſt, vindicare tamen legatario licet equum à fure, *juxta L. 11. de condict. furt.*

CASUS DCCCLXVII.

C. 37. Et ego commodatò accepimus equum, C. damnum equo dedit injuriâ, commodans convenit C. actione commodati, quæritur, quomodo C. conventus debeat excipere? Reſpondeo: Conventum excipere poſſe, *Actorem ad cautionem præſtandam teneri, de non agendo actione Legis Aquiliæ*, injuſtum eſt enim, ut quis bis conſequatur, quod ſemel ipſi tantùm debetur, *juxta L. 7. §. 1. commod.*

CASUS DCCCLXVIII.

D. 37. A Titio navi præfectus, pecuniam à me mutuò acceptam, ut navi impenderetur, in proprios uſus convertit, ego intento actionem contra Titium, quæritur, an, & qualis locum habeat? Reſpondeo: Actionem exercitoriam locum habere, quia ſi magiſter hac lege accepit pecunias, ut in refectionem navis impenderentur, tenetur Exercitor actione prædictâ, eò quòd ſibi imputare debeat, ſe tam negligentem & fraudulentum navi præfeciſſe, *juxta L. 1. §. 9. de exercit. act.*

CASUS DCCCLXIX.

E. 37. Dedit mihi adamantum in pignus pro ſumma capitali 1000. imper., E. capitale ſolvit, non ſolutis uſuris ſtipulatis, & inſtituit

actionem, quæritur, qualem actori poſſim opponere exceptionem? Reſpondeo: Actionem pignoratitiam locum habere, nam quia pignus ſpecialiter datum eſt pro ſecuritate capitalis tantùm, pro uſuris obligatum non eſt, aliud foret ergò, ſi pignus etiam in cauſam uſurarum obligatum fuiſſet, *juxta L. 11. §. 3. de Pignor. act.*

CASUS DCCCLXX.

F. 37. Agens annum 13., à Mevio tabernæ præpoſitus, nomine Domini, ſine tutoris authoritate, vendidit mihi merces, ego convenio Mevium ad traditionem, quæritur, quali exceptione meæ actioni poſſit occurri? Reſpondeo: Meæ actioni exceptione occurri non poſſe, pupillus enim inſtitor obligat eum, qui illum præpoſuit tabernæ, actione inſtitoriâ, quoniam ſibi imputare debet, quòd talem præpoſuerit, *juxta L. 7. §. fin. de Inſtit. act.*

CASUS DCCCLXXI.

G. 37. Filiusf. conventus ex mutuo, intentione actoris confeſſâ, & nullâ exceptione propoſitâ, condemnatus eſt per ſententiam, in rem judicatam prolapſam, quæritur, an, & qualis condemnato G. in executivis ſervire poſſit exceptio? Reſpondeo: G. in executivis ſervire poſſe exceptionem SCti Macedoniani, nam ſi filiusf., non oppoſitâ exceptione, condemnatus ſit, uti poteſt prædictô remediô, exemplô mulieris intercedentis, *juxta L. 11. ad SCtum Vellej.*

CASUS DCCCLXXII.

H. 37. Filiusf. habens peculium profectitium, pro me fidejuſſit Titio creditori, Titius convenit patrem, me excuſſo, quæritur, an, & qualis actio locum habeat? Reſpondeo: Actionem de peculio locum habere, pater enim ſemper obligatur vi peculii profectitii, quod filio concedendo etiam in illius contractus conſentire præſumitur, *juxta L. 3. §. 9. de Pecul.*

CASUS DCCCLXXIII.

I. 37. Filiusf. fidejuſſit pro patre ſuo, & creditori ſatisfecit pecuniâ, à Mevio mutuò ſumptâ, Mevius contra patrem agit in judicio, quæritur, an rectè, & quali actione? Reſpondeo: Mevium

Mevium contra patrem in judicio rectè agere, mediante actione *de in rem verſo*, ſiquidem ſi pro patre filius fidejuſſit, & creditori ſolvit, in rem patris verſum videtur, quia patrem hoc modo liberavit, *juxta L. 10. in princ. de in rem verſo.*

CASUS DCCCLXXIV.

K. 37. Pater ſubſcripto inſtrumento mutui, per filiumf. à Sempronio levati, convenitur à Mevio in Judicio, quæritur, an, & quali actione? Reſpondeo: Patrem rectè conveniri à Mevio actione *quod juſſu*, quippe ſubſcriptio paterna inſtrumenti mutui, per filiumf. à Sempronio levati, juſſui æquiparatur, proindéque pater præfatâ actione rectè pulſatur, quatenus Sempronio mutuanti ſatisfaciat, *juxta L. 1. §. 4. quod juſſu.*

CASUS DCCCLXXV.

L. 37. Mulier pecuniâ, â Cajo mutuo levatâ, quaſi in proprios uſus convertendâ, per creditorem pulſata in Judicio, excipit, pecuniam pro marito levatam eſſe, quæritur, qualis ſit exceptio, & an legitima? Reſpondeo: Exceptionem SCti Vellejani non eſſe, & conſequenter neque legitimam, mulier enim ſi tanquam in ſuos uſus pecuniam acceperit, alii creditura, non eſt locus SCto Vellejano, alioquin propter toleratam in fœminis fraudem, nemo cum illis amplius contrahere vellet, *juxta L. 11. ad SCtum Vellej.*

CASUS DCCCLXXVI.

M. 37. Debet mihi mille ex anno primo, dato fidejuſſore Titio, cum renuntiatione expreſsâ beneficii ordinis, & ego præfato M. viciſſim debeo mille ex anno ſecundo, ego in Judicio pulſo Titium ad reſtituendos mille, quæritur, an, & qualem Titius habeat exceptionem?

Reſpondeo: Titium fidejuſſorem habere compenſationis exceptionem, nam licèt debitum tertii reus in compenſationem deducere nequeat invito actore, limitandum tamen eſt, ſi tertii debitum quoque actoris, cui compenſatio objicitur, debitum eſſe videatur, ita *Boehm. §. 6. de comp. juxta L. 4. de compenſ.*

CASUS DCCCLXXVII.

N. 37. Depoſuit apud me adamantem, ego, N. ignorante, ſubdepono apud Cajum, publicè probatæ fidei hominem, quæritur, an, ſi Caji dolô adamas perierit, N. habeat contra me actionem, & qualem?

Reſpondeo: N. contra me actionem depoſiti non habere, ego enim, adamantem homini publicè probatæ fidei ſubdeponendo, culpam non commiſi, & conſequenter actione convenibilis non ſum, *juxta L. 16. depoſit.*

CASUS DCCCLXXVIII.

O. 37. Mandavit mihi, ut Ratisbonam proficiſcar, Comitiis intereſſendi gratiâ, incido in prædones, & rebus meis privor, inſtituo contra O. actionem ad damni perpeſſi refuſionem, quæritur, an, & quali actione valeam experiri? Reſpondeo: Me actione mandati experiri non poſſe contra O. ad damni perpeſſi refuſionem, quippe mandatarius non omnia mandanti imputat, veluti quòd ſpoliatus ſit à latronibus, aut naufragiò res amiſerit, nam hæc magìs caſibus, quàm mandato imputare oportet, eò quòd extra mandati cauſam acciderint, *juxta L. 26. §. 6. mand.*

CASUS DCCCLXXIX.

P. 37. Mecum inivit ſocietatem equorum vendendorum gratiâ, P. intulit duos equos, & ego duos, mei ante venditionem pereunt, quæritur, an ſocietas exſpiraverit? Reſpondeo: Societatem exſpirâſſe, nam ſicuti ſociô extinctô ſocietas tollitur, ſic pariter rei interitu, quâ mediante ſubſiſtere debuiſſet, quia ceſſante causâ finali etiam ceſſat effectus, *juxta L. 38. pro ſocio.*

CASUS DCCCLXXX.

Q. 37. Vendidit mihi 24. Aprilis 1732. domum Tuſculanam, 20mâ combuſtam, 1000. imper., Q. areâ traditâ inſtituit contra me actionem ad pretium, quæritur, an legitimè? Reſpondeo: Q. areâ licèt traditâ, contra me actionem ad pretium legitimè non inſtituere, cùm enim emptio venditio ſit contractus conſenſualis de merce certâ emptori tradendâ, & pretio certo venditori dando, à me rei non exiſtentis, proindèque non initæ emptionis venditionis exceptio opponi poteſt, *juxta L. 57. de contrah. Empt. vend.*

CASUS DCCCLXXXI.

R. 37. Emit à me prædium Cornelianum, *ut, ſi alius infra decem annos obtulerit duo millia, prædium ſit inemptum*, & fructus percepit ad mille, anno 10. Mevius offert 2000., ego contra R. intento actionem

ad

ad prædium & fructus perceptos, quæritur, an rectè? Reſpondeo: Me contra R. rectè intentare actionem ad prædium & fructus perceptos, quia, ſi pactum addictionis in diem ſub conditione reſolutiva, & verbis directis conceptum, emptioni venditioni adjectum ſit, rei dominium ipſo jure ad venditorem redit, unà cum fructibus, *juxta L. 6. de in diem addict.*

CASUS DCCCLXXXII.

S. 37. Vendidit mihi prædium Tuſculanum 1000., hâc lege, *Ut, ſi pretium infra annum non ſolvero, prædium ſit inemptum*, lapſô annô S. intentat contra me actionem ad pretium ſolvendum, quæritur, an deinde ad repetitionem fundi agere poſſit? Reſpondeo: S. deinde ad repetitionem fundi agere non poſſe, quia ſi ad petitionem fundi, & pretium ſimul ageret, emptio venditio partim reſoluta foret ob adimpletum pactum, & partim non reſoluta propter implementum per pretii præſtationem, implicat verò reſolutum, & non reſolutum, *juxta L. 7. de Leg. commiſſ.*

CASUS DCCCLXXXIII.

T. 37. Poſſeſſor hæreditatis, tempore mortis valentis 10000., eandem hodie, valentem 5000., mihi vendidit 5000., ego contra T. intento actionem empti ad 10000. conſequendos, quæritur, an rectè? Reſpondeo: Me contra T. non rectè intentare actionem empti ad 10000. conſequendos, ſiquidem in hæreditate venditâ non ſpectatur quantitas, quæ fuit tempore aditæ hæreditatis, ſed ea, quæ fuit, dum hæreditas vendita eſt, *juxta L. 2. §. 1. de hæred. vel act. vend.*

CASUS DCCCLXXXIV.

V. 37. Emit à me ſylvam Tuſculanam 1000., quæritur, an arbores, ante venditionem vi ventorum dejectæ, pertineant ad V., an ad me? Reſpondeo: Arbores ante venditionem dejectas ad me, non autem ad V. pertinere, ſiquidem arbores, vi ventorum dejectæ, ad emptorem non pertinent, ſed ad venditorem, quia emptor eas non emit, cùm antequam fundum emerit, deſierint fundi eſſe, *juxta L. 9. de pericul. & commod.* ſecùs foret, ſi emptor ignoraverit, & venditor ſciverit dejectas, *juxta L. C.*

CASUS DCCCLXXXV.

W. 37. Vendidit mihi domum Cornelianam, quam ignorabat alienam eſſe, 1000., quæritur, an, ſi domus fuerit à Domino evicta, W. teneatur ad pretium reſtituendum, & intereſſe?

Reſpondeo: W. non teneri ad reſtituendum id, quanti emptoris intereſt, ſi fundus evictus non eſſet, ſed tantùm pretium, ratio ſtat in bona fide, quâ W. fundum vendidit, quæ non permittit, ut vel ille, aut emptor ex contractu damnum ſentiat, *juxta L. 11. §. 18. de Act. empt. vend.*

CASUS DCCCLXXXVI.

X. 37. Fructuarius fundum Tuſculanum elocavit mihi ad 6. annos, tertio anno moritur, relictô hærede Titio, quæritur, an Titius mihi teneatur ad præſtandum frui? Reſpondeo: Titium mihi non teneri ad præſtandum frui, Titio enim *juxta L. 9. §. 1. de Locat. conduct.* nihil imputari poteſt, quòd ego fundum fructuarium ſcienter ad 6. annos conduxerim.

CASUS DCCCLXXXVII.

Y. 37. Filiusf. teſtamentum condidit ſine patris conſenſu, clauſulâ codicillari munitum, & ſui Juris factus, ſine revocatione moritur, quæritur, an teſtamentum ſit exequendum? Reſpondeo: Teſtamentum exequendum non eſſe, licèt filiôf. ſui Juris factô, quia clauſula codicillaris ſupplere non poteſt defectus teſtamenti intrinſecos, quorum unus filiof. adhæret, nimirum defectus facultatis teſtandi, *juxta L. 6. & 19. qui teſt. fac. poſſ.*

CASUS DCCCLXXXVIII.

Z. 37. Teſtamentum condidit in anno primo, in quo filium Titium præterîit, in anno 2do Titius moritur, & in anno tertio Z., quæritur, an, & quâ querelâ de jure civili hæres Titii poſſit teſtamentum impugnare? Reſpondeo: Hæredem Titii de Jure civili nullitatis querelâ teſtamentum impugnare poſſe, quippe tabulæ, in quibus liberi prætereuntur à patre, nullæ ſunt, *juxta L. 7. de lib. & poſth.* licèt etiam ante patrem moriantur.

C A-

CASUS DCCCLXXXIX.

A. 38. Condidit teſtamentum hâc formulâ: *Titius, & fratris mei liberi æquè hæredes ſunto*, quæritur, an ſucceſſio ex hoc teſtamento fiat in capita, an in ſtirpes? Reſpondeo: Succeſſionem ex hoc teſtamento fieri in capita, nam adjectio hæc: *æquè hæredes ſunto*, Teſtatoris voluntatem exprimit, omnes ex virilibus partibus inſtitutos eſſe, *juxta L. 13. de Hæred. inſtit.*

CASUS DCCCXC.

B. 38. Inſtituit primum & ſecundum hæredes, ſecundum ſubſtituit primo, & ſecundo tertium, ſecundus moritur ante primum, & primus hæreditatem repudiat, quæritur, an portio primi ad tertium devolvatur? Reſpondeo: Portionem ſecundi & primi ad tertium devolvi, ſecundi quidem ratione ſubſtitutionis, & primi vi Juris accreſcendi, *juxta L. 41. de Vulg. & Pupill. ſubſtit.*

CASUS DCCCXCI.

C. 38. Miles poſſidens fundum Tuſculanum, Cornelianum, & Mevianum, me inſtituit hæredem in Meviano, quæritur, an teſtamentum ſubſiſtat? Reſpondeo: Teſtamentum ſubſiſtere, cùm enim milites propter expeditionem bellicam non ad leges attendere poſſe præſumantur, hinc teſtamentum, ab illis qualicunque demum modô erectum, imò inſtitutio hæredis in re particulari ſubſiſtit, modò de voluntate eorum quomodocunque conſtet, *juxta L. 1. de Teſtament. milit.*

CASUS DCCCXCII.

D. 38. Teſtamentum erexit hâc formulâ: *Titius hæres meus eſto, primo fundum Tuſculanum do lego, ſecundo eundem fundum do lego, tertio, & quarto eundem fundum do lego*, quæritur, in quot portiones fundus ſit dividendus? Reſpondeo: Fundum in tres portiones dividendum eſſe, idque ex mente Teſtatoris, qui tertium & quartum conjunxiſſe cenſetur, ut tanquam una perſona etiam unam partem conſequantur, primum & ſecundum autem disjunxiſſe, ut tanquam duæ perſonæ ſimiliter duplicem portionem obtineant, *juxta L. 34. de Legatis 1.*

CASUS DCCCXCIII.

E. 38. Teſtatus eſt hâc formulâ : *Titius hæres meus eſto, primo partem fundi dimidiam lego, ſecundo partem dimidiam lego, eundem fundum tertio lego,* quæritur, ſi ſecundus deceſſerit, cui hæc portio accreſcat?

Reſpondeo: Si ſecundus deceſſerit, portionem ejus primo & tertio accreſcere, quia cùm ſeparatim & partes fundi, & totus fundus legatus ſit, neceſſe eſt, ut ea pars, quæ ceſſat, pro portione legati cuique eorum, quibus fundus ſeparatim legatus eſt, accreſcat, *juxta L. 41. de legat. 2.*

CASUS DCCCXCIV.

F. 38. Inſtituit Titium hæredem, eidémque mandavit, ut Mevio officium compararet, morâ hæredis præcedente Mevius moritur, quæritur, an hæres Mevii ad officium conſequendum agere poſſit?

Reſpondeo: Hæredem Mevii ad officium conſequendum agere poſſe, quidquid enim Mevius conſecuturus fuiſſet, hoc caſu ad hæredem ſuum tranſmittit, uſque adeò etiam, ut hæres conſequatur æſtimationem, caſu, quo officium hæredi eſt inutile, *juxta L. 35. de legat. 3.*

CASUS DCCCXCV.

G. 38. Legavit fundum inſtructum mihi, ego contra hæredem ago ad frumentum repoſitum, quæritur, an rectè? Reſpondeo: Me contra hæredem rectè agere ad frumentum repoſitum, ad cibaria paratum, nam, ſi fundus inſtructus legatur, etiam cenſentur legata, quæcunque ad illum pertinent, & in illo continentur, *juxta L. 12. de Inſtruct. & Inſtrum. legat.*

CASUS DCCCXCVI.

H. 38. Legavit tibi 1000., ut Titio præſtes alimenta, quæritur, an causâ alimentorum ceſſante exſpiret legatum? Reſpondeo: Causâ alimentorum ceſſante legatum non exſpirare, quippe non competit condictio indebiti ad legatum repetendum, nequidem utilis, ratio ſtat in curis & oneribus perferendis, quibus is ſubjicitur, qui aliis alimenta præſtare debet, *juxta L. 8. de Alim. & Cibar. legat.*

CASUS DCCCXCVII.

I. 38. Legavit Mevio ſuum aurum & argentum, Mevius agit contra hæredem ad conſequendam defuncti pecuniam auream, & argenteam, quæritur, an Mevius Jure agat? Reſpondeo: Mevium Jure non agere ad conſequendam pecuniam, ſi ſignata ſit, nam licèt, ſi aurum & argentum legatum eſt, quidquid auri argentique relinquitur, legato contineatur, pecuniam tamen ſignatam legatum tale non complectitur, *juxta L. 14. de aur. & argent. legat.*

CASUS DCCCXCVIII.

K. 38. Reliquit Sempronio liberationem, quæritur, an Sempronius à rationum redditione liber ſit, aut an ſaltem libros rationum teneatur producere? Reſpondeo: Sempronium à rationum redditione liberum eſſe, tenetur tamen libros rationum producere, quia eo caſu non tam res & corpus, quàm jus aut obligatio ſeu potiùs liberatio legata cenſetur, *juxta L. ult. §. 1. de liberat legat.*

CASUS DCCCXCIX.

L. 38. Mortuus eſt cum filio pubere uno caſu fatali, patris conſanguinei hæreditatem petunt, & uxor L., quæritur, quid Juris? Reſpondeo: Matri bona filii adjudicanda eſſe, quippe in hoc caſu pater cenſetur ante filium mortuus, aſcendentes autem ab inteſtato deſcendentibus ſuccedunt, *juxta L. 9. §. 1. de reb. dub.*

CASUS DCCCC.

M. 38. Miles habens in bonis ſuis 3000., primo 1000., ſecundo 1000., tertio 1000., & quarto 1000. legat, quæritur, an ex his legatis quarta detrahi poſſit? Reſpondeo: Ex his legatis quartam detrahi non poſſe, ob favorem enim militiæ legata integra ex teſtamento, quod miles Jure militari condidit, præſtanda ſunt, *juxta L. 17. ad L. falcid.*

CASUS DCCCCI.

N. 38. Inſtituit me hæredem, & rogavit, ut meam partem detractâ quartâ reſtituam primo & ſecundo cohæredibus, & prædia quædam prælegavit, quæritur, an prædia in quartam falcidiam imputare tenear?

near ? Reſpondeo : Me prælegata integra retinere debere, ita tamen, ut in quartam imputare tenear duodecimam prædiorum partem, *juxta L. 86. ad L. Falcid.*

CASUS DCCCCII.

O. 38. Habens duos filios, utrumque exhæredavit juſtè, uxore inſtitutâ hærede, & rogatâ hæreditatem filiis reſtituere, ita, ut, primô ante annum 20mum mortuô, reſtitutio fiat ſecundo, quæritur, an ſi primus ante annum 20mum moriatur, filiâ relictâ, reſtitutio ſit facienda ſecundo ? Reſpondeo : Reſtitutionem ſecundo faciendam non eſſe, ſi primus ante annum 20mum moriatur, filiâ relictâ, quia hoc caſu præſumitur, Teſtatorem hanc tacitam conditionem fideicommiſſo inſeruiſſe, *ſi primo Liberi ſupernati non fuerint, juxta L. 74. §. 1. ad SCtum Trebell.*

CASUS DCCCCIII.

P. 38. Expenſis in rem communem quaſi propriam factis, in Judicio ad diviſionem pulſatus, opponit exceptionem retentionis, quæritur, an Jure ? Reſpondeo : P. Jure opponere retentionis exceptionem, quia cùm actio *Communi dividundo* ex negotio bonæ fidei ſit, per conſequens etiam contra ſocium datur, *juxta L. 14. §. 1. Commun. divid.*

CASUS DCCCCIV.

Q. 38. Et tu habetis hæreditatem communem, tu egiſti ad diviſionem, & obtinuiſti, hæreditate divisâ convenis Q. ad diviſionem corporum hæreditariorum, prætensè indiviſorum, quæritur, qualem Q. habeat exceptionem ? Reſpondeo : Q. habere exceptionem jam ſemel intentatæ actionis familiæ herciſcundæ, utpote quæ bis inſtitui nequit, quod ſi tamen res quædam indiviſæ relictæ ſint, communi dividundo de his agi poteſt, *juxta L. 20. §. 4. Fam. Herciſ.*

CASUS DCCCCV.

R. 38. Et ego habemus fundum communem, vicinum meo, ego contra R. intento actionem finium regundorum, quæritur, an actio ſit fundata ? Reſpondeo : Actionem fundatam non eſſe, ſiquidem ego & ſocius meus in hâc actione adverſarii eſſe non poſ-

ſumus

ſumus, ob ſocietatem inter nos duos intercedentem, *juxta L. 4. §. 7. fin. regund.*

CASUS DCCCCVI.

S. 38. Effudit aquam in plateam publicam, & mihi damnum intulit, ego S. convenio ex edicto *de his qui effud. vel dejec.*, quæritur an Jure? Reſpondeo: Me S. Jure non convenire ex edicto *de his qui effud. vel dejec.*, quia S. in propria perſona damnum per effuſionem mihi inferens non tenetur ex quaſi, ſed ex vero delicto, *juxta L. 1. in princ. de his qui effud. vel dejec.*

CASUS DCCCCVII.

T. 38. Servum meum ſcripſit hæredem, quem Mevius occidit, quæritur, an Mevius mihi, ad quid, & quâ actione teneatur? Reſpondeo: Mevium mihi teneri actione L. Aquiliæ, ad hæreditatis æſtimationem, quia, cùm ſervus & Dominus eadem perſona eſſe præſumantur, hinc ſervus pariter Domino commodum acquirere cenſetur, *juxta L. 23. ad L. Aquil.*

CASUS DCCCCVIII.

V. 38. Habet cygnum, à quo equus meus eſt damnificatus, quæritur, an, & quali actione V. ſit convenibilis? Reſpondeo: V. actione quadrupedariâ convenibilem eſſe, quia actio hæc, ſaltem utilis, ob identitatem rationis, etiam competit in caſu, quo non quadrupes, ſed aliud animal pauperiem fecerit, *juxta L. 4. ſi quadrup. paup. fec. dic.*

CASUS DCCCCIX.

W. 38. Conſtituit, & quaſi tradidit mihi ſervitutem, ut alternis annis aquam in meum fundum ducere poſſim, præſens aquam per decem annos non duco, undecimô volens ducere, à W. impedior, & intento actionem, quæritur, an, & qualem? Reſpondeo: Me contra W. rectè intentare actionem confeſſoriam, cùm enim uſus aquam in fundum ducendi continuus non ſit, per 10. annos non amittitur ſervitus conſtituta, *juxta L. 7. quemadm. ſervit. amitt.*

CASUS DCCCCX.

X. 38. Caminum habet domui meæ vicinum, per quem fumus in

ædes meas immittitur, intento contra X. actionem, quæritur, an, & qualem? Reſpondeo: Me jure intentare contra X. actionem negatoriam, ſiquidem, niſi ſervitus conſtituatur, fumum in alterius ædes immittendi, vicinus ſibi Jus non quærit talem immiſſionem exercendi, *juxta L. 8. §. 5. ſi ſervit. vindic.*

CASUS DCCCCXI.

Y. 38. A me Jus itineris per meum fundum ſtipulatur, ut & proprio, & vicino fundo ſerviat, vicinus à me turbatus in ſervitutis exercitio, contra me inſtituit actionem confeſſoriam, quæritur, qualis actori poſſit opponi exceptio? Reſpondeo: Actori exceptionem non conſtitutæ ſervitutis opponi poſſe, ſervitus enim conſtitui non poteſt, ut proprio, & vicino ſerviat, nam ſervitutem recipere, niſi ſibi, nemo valet, *juxta L. 5. commun. præd.*

CASUS DCCCCXII.

Z. 38. Per tres fundos ſuos meo prædio conſtituit ſervitutem viæ, 10. annis per primum fundum viam non exercui, undecimo volens viâ uti per fundum prædictum, à Z. turbor, quæritur, an, & qualem contra Z. habeam exceptionem? Reſpondeo: Me contra Z. habere exceptionem nondum præſcriptæ ſervitutis, ſi per ſecundum, aut tertium iverim, nam ſervitus viæ, etſi per plures fundos conſtituatur, una eadémque ſervitus eſt, ita, ut ſi vel uno fundo uſus ſim, tota ſervetur, *juxta L. 10. de ſervit. præd. ruſtic.*

CASUS DCCCCXIII.

A. 39. Te inſtituto hærede, mihi legavit uſumfructum fundi Tuſculani, retro fundum hæreditarium ſiti, eò per hunc, fundi fructuarii colendi gratiâ, aliàs relinquendi inculti, tu me prohibes, quæritur, an rectè? Reſpondeo: Te injuſtè agere, me impediendo per fundum hæreditarium ire, quia, niſi ille ab hærede legatario concedatur, fundus fructuarius ſterilis relinquendus eſt, legatum fit inane, & per conſequens teſtatoris voluntati illuditur, *juxta L. 10. de ſervit. urban. præd.*

CASUS DCCCCXIV.

B. 39. Conſtituit ſervitutem actûs meo prædio per fundum Tuſculanum, agendo pecus mox per hanc, mox per aliam fundi partem, à B.

impe-

impedior, quæritur, an, & qualem contra B. habeam actionem?

Reſpondeo: Me contra B. non habere actionem confeſſoriam, ſervitus enim ſic tacitè conſtituta cenſetur, quò minùs fundo ſervienti exinde incommodum oriatur, quod autem accidit, ſi pecus modò per hanc, modò per aliam fundi partem agatur, *juxta L. 9. de ſervit.*

CASUS DCCCCXV.

C. 39. Legavit mihi uſumf. fundi Tuſculani, & rogavit, ut eundem reſtituam Mevio, hæres à me cautionem exigit, & ego à Mevio, quæritur, an rectè? Reſpondeo: Hæredem à me rectè cautionem exigere, quin eandem à Mevio mihi petere liceat, ſi nulla ſpes appareat, quòd uſusfructus unquam ad fiduciarium reverſurus ſit, tunc enim rectà viâ fideicommiſſarium cavere oportet domino proprietatis, *juxta L. 9. uſuſf. quemad. cav.*

CASUS DCCCCXVI.

D. 39. Legavit mihi usûs partem, ago contra hæredem ad usûs partem præſtandam, quæritur, an, & qualem hæres habeat exceptionem? Reſpondeo: Hæredem habere exceptionem incompetentis legati, etenim usûs pars rectè non legatur, nam frui quidem pro parte, uti autem pro parte non poſſumus, *juxta L. 19. de uſu & habit.*

CASUS DCCCCXVII.

E. 39. Pecuniam mihi ita reliquit: *Titio do lego uſum pecuniæ, reſtituendæ poſt mortem Mevio,* ago contra hæredem ad præſtandam pecuniæ proprietatem, quæritur, an Jure? Reſpondeo: Me Jure agere contra hæredem ad præſtandam pecuniæ proprietatem, cùm enim ego legatarius poſt mortem meam tenear ad pecuniæ reſtitutionem, hinc non ſolus pecuniæ uſus, ſed & illius proprietas legata cenſetur, *juxta L. ult. de uſuf. rer. quæ uſu conſum.*

CASUS DCCCCXVIII.

F. 39. Reliquit mihi uſumf. quatuor equorum, ad ducendam quadrigam deſtinatorum, Mevius mihi legavit uſumf. quadrigæ, tam in priori, quàm poſteriori caſu unus equus perit, hæredes agunt ed proprietatem equorum, adhuc exiſtentium, quæritur, an bene? Reſpondeo: Hæredes bene non agere ad proprietatem equorum, adhuc exiſtentium,

 nam

nam, ſi equorum uſusf. legatus ſit, ſupereſt in reſiduis, & per conſequens non extinguitur, ſecùs autem eſt in quadrigæ uſufructu legato, tunc enim uſusfructus exſpirat, quoniam eo caſu quadriga eſſe deſinit, *juxta L. 10. §. 8. quib. mod. uſusf. amitt.*

CASUS DCCCCXIX.

G. 39. Legavit Attico & Sejo cum hæredibus ſuis, uſumfructum fundi Tuſculani, quæritur, in quot partes uſusfr. ſit dividendus? Reſpondeo: Uſumf. in 3. partes dividendum eſſe, ex eo, quod idem ſit, ſive teſtator dicat: *Attico & Sejo cum hæredibus*, vel *Attico & Sejo & hæredibus uſumf. lego*, *juxta L. 7. de Uſuf. accreſ.*

CASUS DCCCCXX.

H. 39. Legavit mihi uſum fundi Tuſculani, & hæres H. tibi uſumfructum, quæritur, quid ego, & tu ex legato ſimus conſecuturi? Reſpondeo: Me uſum conſecuturum eſſe, te verò, quod mihi ſupererit, & ſimul uſum, ſiquidem ſi alii uſus, alii fructus ejuſdem rei legetur, id percipit. fructuarius, quod uſuario ſupererit, ita, ut & fructuario fruendi causâ uſus competat, *juxta L. 42. de Uſuf. & quemad.*

CASUS DCCCCXXI.

I. 39. Fundum Tuſculanum emit à Titio, quem Dominum eſſe credebat, poſſeſſione caſu ad Mevium, verum Dominum, perventâ, I. contra Mevium intentat Publicianam, quæritur, an victoriam ſperare poſſit? Reſpondeo: I. victoriam ſperare non poſſe, quia exceptio juſti dominii Publicianæ objicitur, utpote quæ actio tantùm datur contra tertium, infirmiori Jure poſſidentem, *juxta L. 16. de Publ. in rem. act.*

CASUS DCCCCXXII.

K. 39. Bonâ fide hæreditatem alienam poſſidens, diſtraxit rem hæreditariam, atque fundum, ex pretio nomine proprio comparatum, in proprium patrimonium convertit, quæritur, ad quid K., pulſatus petitione hæreditatis, teneatur, an ad rem, an ad pretium? Reſpondeo: K. pulſatum petitione hæreditatis teneri ad pretium, non ad rem, quia, bonâ fide fundum alienum in proprium patrimonium convertendo, non cenſetur factus locupletior, *juxta L. 25. §. item ſi rem. de Petit. hæred.*

CASUS DCCCCXXIII.

L. 39. Hæres Titii, apud quem adamas fuit depoſitus, contra me, poſſeſſorem pro hærede, agit ad adamantem conſequendum, quæritur, an, & qualis mihi competat exceptio? Reſpondeo: Mihi exceptionem non competere, quia enim periculum rei depoſitæ ad hæredem depoſitarii pertinet, æquum eſt, ut ego, licèt poſſeſſor pro hærede, depoſitum reſtituam, *juxta L. 19. de petit. hæred.*

CASUS DCCCCXXIV.

M. 39. A Patre iniquè exhæredatus, querelæ renuntiavit ſub ſpe, ſibi aliquid relictum eſſe per fideicommiſſum, quæritur, an, compertô errore, filius poſſit ad querelam admitti? Reſpondeo: Comperto errore filium ad querelam admittendum eſſe, quia filius conditionem hanc tacitam renuntiationi inſeruiſſe præſumitur, *ſi per fideicommiſſum mihi aliquid relictum fuerit*, *juxta L. 21. de inoff. teſtam.*

CASUS DCCCCXXV.

N. 39. A Patre exhæredatus, cum Mevio hærede pacto tranſegit, quæritur, an, ſi Mevius tranſactionem adimplere nolit, filius querelam intentare valeat? Reſpondeo: Filium querelam rectè intentare, ſi Mevius tranſactionem adimplere nolit, quia æquius eſt, hæredem, quàm filium hoc caſu damnum ferre, utpote qui in hæredis favorem, ad lites evitandas, cum illo tranſactionem iniit, *juxta L. 27. de inoff. teſtam.*

CASUS DCCCCXXVI.

O. 39. Emptor prædii alieni, ſibi à Clerico venditi, convenitur à vero domino actione rei vindicatoriâ coram Judice laico, quæritur, an Clericus teneatur coram Judice laico comparere? Reſpondeo: Clericum teneri coram Judice laico comparere, nam licèt Clericus habeat regulariter exceptionem incompetentis Judicis laici, exceptio tamen hæc non fundatur in caſu, quo Clericus, tanquam venditor, denuntiatur ad evictionem præſtandam, tunc enim venditor ſequitur Judicium emptoris, *juxta L. 49. de Jud.*

CASUS DCCCCXXVII.

P. 39. Colonienſis me Pariſienſem ſcripſit hæredem, P. debet Coloniæ 1000., quæritur, an ego aditâ hæreditate Coloniæ poſſim conveniri, aut quam habeam exceptionem? Reſpondeo: Me non habere incompetentis Judicis exceptionem, & conſequenter Coloniæ convenibilem eſſe, caſu, quo etiam ibi invenior, ſiquidem hæres ibi defendendus eſt, ſicuti & conveniendus, ubi defunctus debuit, ſi ibi exiſtat, quin ex ſuo proprio privilegio excuſetur, *juxta L. 19. de Jud.*

CASUS DCCCCXXVIII.

Q. 39. Titius & Mevius conſecuti ſunt munus judicandi, Mevius prohibetur à judicandi munere, quæritur, an Q. & Titius cauſam ſententiâ poſſint dirimere? Reſpondeo: Q. & Titium cauſam ſententiâ dirimere poſſe, etenim, ſi Prætor unum ex pluribus judicare vetat, cæteris id committere videtur, *juxta L. 12. eod.*

CASUS DCCCCXXIX.

R. 39. Nauta merces recepit, non in navi, ſed tantùm in littore, quæritur, an, ſi merces receptæ furto ablatæ ſint, nauta teneatur?

Reſpondeo: Nautam teneri, ſi merces, licèt in littore receptæ, furto ſint ablatæ, nauta enim tenetur, etiamſi ſine culpa ſua res perierit, vel damnum datum ſit, quippe ob artem, quam talis recipiens publicè profitetur, de minima negligentia obligatur, *juxta L. 3. §. 1. Naut. Caup. ſtabul.*

CASUS DCCCCXXX.

S. 39. Arbitriô ſuſceptô erroneum laudum tulit, quæritur, an laudum corrigi poſſit? Reſpondeo: Laudum corrigi non poſſe, ratio eſt, quòd arbitri Judicis vices agant, & conſequenter ſententia eorum, licèt erronea, correctioni non ſubjacet, *juxta L. 20. de Recept.*

CASUS DCCCCXXXI.

T. 39. Præſens, conjectus in vincula, rem meam, me præſente, uſucepit, quæritur, an ego contra uſucapionem ſim reſtituendus?

Me contra uſucapionem reſtituendum eſſe, is enim, qui in vinculis eſt, modò non ſit in ſervitute, uſu ſibi acquirere poteſt, *juxta L. 23. ex quib. cauſ. major XXV. annis.*

CA-

CASUS DCCCCXXXII.

V. 39. Agens annum 20., credidit Mevio 10., fide per mulierem interpoſitâ, V. contra mulierem agit, quæritur, an, & qualem mulier habeat exceptionem? Reſpondeo: Mulierem habere exceptionem SCti Vellejani, ſi debitor principalis ſolvendo ſit, quia tunc nullam obligationem contrahit, ſecus ergo foret, ſi debitor principalis ſolvendo non eſſet, *juxta L. 12. de Minor.*

CASUS DCCCCXXXIII.

W. 39. Expletô annô 20., pactô promiſit, ſe non petiturum reſtitutionem in integrum, & fidejuſſorem dedit Mevium, quæritur, an W. reſtitutô, Mevius quoque ſit reſtituendus? Reſpondeo: W. reſtitutô, Mevium reſtituendum non eſſe, aliàs ſiquidem cum minore contractus initus non fuiſſet, *juxta L. 13. eod.*

CASUS DCCCCXXXIV.

X. 39. Sciens Mevium facultatibus labi, affirmavit eundem ſolvendo eſſe, quæritur, an X. teneatur de dolo? Reſpondeo: X. teneri de dolo, etenim non licet in tertii præjudicium, alium ſolvendo eſſe, edicere proprii lucri causâ, cùm animus tertium decipiendi, & conſequenter dolus verus hôc factô appareat, *juxta L. 8. de Dolo malo.*

CASUS DCCCCXXXV.

Y. 39. Metu me compulit ad equum ipſi tradendum, Titius vitii hujus ignarus, equum emit, & citra culpam amittit, quæritur, an, & qualis actio contra Titium locum habeat? Reſpondeo: Actionem *quod metûs causâ* contra Titium locum non habere, ex eo, quòd equum citra culpam amittendo, locupletior factus cenſeri non poſſit, *juxta L. 18. quod met. cauſa.*

CASUS DCCCCXXXVI.

Z. 39. Me induxit metu ad fundum Tuſculanum deoccupandum, Z. fundum donavit Sempronio, moderno poſſeſſori, quæritur, an habeam actionem contra Sempronium tantùm ad fundum, an verò etiam ad fructus, & quales? Reſpondeo: Me

 contra

contra Sempronium habere reſtitutionem in integrum ex capite metùs, non tantùm ad fundum, ſed etiam omnes fructus, quos percepit, & qui ex fundo percipi potuiſſent, niſi metu fuiſſem inductus ad fundi deoccupationem, ratio eſt, quòd remedium hoc ſit in rem ſcriptum, & per conſequens contra quemlibet poſſeſſorem competat, *juxta L. 12. quod met. cauſa.*

CASUS DCCCCXXXVII.

A. 40. Completô annô 20. emptionem venditionem celebravit, fundum, 10. valentem, emendo 15., moritur, ſcripto hærede Sempronio, Sempronius contractum impugnat, quæritur, an rectè, & quali actione? Reſpondeo: Sempronium rectè impugnare contractum remedio reſtitutionis in integrum ex capite minorennitatis, omnes enim, qui remedio reſtitutionis in Jure gaudent, illud pariter ad ſucceſſores ſuos tranſmittunt, *juxta L. 6. de Reſtit. in integ.*

CASUS DCCCCXXXVIII.

B. 40. Tenebatur mihi actione ædilitiâ ex annô 1731. de 1. Januar., B. 2dâ Januar. geſſit mea negotia per integrum annum 1731., ego anno 1732. reverſus intento contra B. actionem negotiorum geſtorum, quæritur, an rectè, & ad quid? Reſpondeo: Me contra B. rectè intentare actionem negotiorum geſtorum ad id, ad quod præſtandum ex actione ædilitiâ tenebatur, nam licèt negotiorum geſtor ex cauſa obligatus fuerit, quæ certo tempore finiebatur, nihilominùs prædictâ actione convenibilis eſt, *juxta L. 8. de Negot. geſt.*

CASUS DCCCCXXXIX.

C. 40. Arma portat contra ſtatutum portatoribus armorum fuſtigationis pœnam infligens, & fuſtigatur, quæritur, an C. ſit infamis? Reſpondeo: C. infamem non eſſe, etenim fuſtigatio infamiam non infert, niſi & cauſa talis ſit, quæ perpetrantem infamiæ notâ afficiat, *juxta L. 22. de his qui not. infam.*

CASUS DCCCCXL.

D. 40. Me hæredem ſcripſit, & multa legata ordinavit, mater D., tanquam hæres legitima, petit à me hæreditatem, tranſigo cum matre, legatarii petunt legata, excipio me à matre, non autem

tem ex teſtatoris Judicio hæreditatem habere, quæritur, quid Juris?

Reſpondeo: Me teneri actione intentatâ à legatariis ad legatorum præſtationem, non obſtante exceptione obmotâ, quia hæres ſcriptus ſum, vel enim in tranſactione, cum matre initâ, cavi pro oneribus hæreditatis, aut ſi non cavi, non licet tamen negligentiam meam ad alienam injuriam referre, *juxta L. 3. de Tranſ.*

CASUS DCCCCXLI.

E. 40. Nuntiavit mihi novum opus, ne domum meam Tuſculanam altiùs tollam, ego domum vendo Titio, quæritur, an contra Titium in opere pergentem effectum habeat nuntiatio? Reſpondeo: Nuntiationem contra Titium, in opere pergentem, effectum habere, cùm enim nuntiatio operis non fiat perſonæ, hinc emptor tenetur, quia is demùm obligatus eſt, qui rem illam poſſidet, in quam novum opus nuntiatum eſt, *juxta L. fin. de oper. nov. nunt.*

CASUS DCCCCXLII.

F. 40. Puteum aperiri curat, quo vicini venæ aquaticæ præſcinduntur, vicinus agit contra F. ad præſtandam cautionem de damno infecto, quæritur, an jure? Reſpondeo: Vicinum jure non agere contra F. ad præſtandam cautionem de damno infecto, nam F. non cenſetur operis ſui vitio damnum vicino dare in ea re, in qua jure ſuo uſus eſt, *juxta L. 24. §. 17. de damno infect.*

CASUS DCCCCXLIII.

G. 40. Aggere in fundo Titii vi tempeſtatis ruptô, contra Titium inſtituit actionem aquæ pluviæ arcendæ, quæritur, an actio ſit fundata? Reſpondeo: Actionem fundatam eſſe, ſi agger manu factus ſit, tunc enim vi actionis aquæ pluviæ arcendæ reponendus erit, ſecus autem, ſi agger naturalis ſit, *juxta L. 2. §. 5. de aqua. & aquæ pluv. arcen.*

CASUS DCCCCXLIV.

H. 40. Pignus accepit à me hâc lege, *ut, ſi infra certum tempus pecunia non ſit ſoluta, H. Jure emptoris rem poſſideat*, quæritur, an, & quomodo, ſi infra tempus pecuniam non ſolvam, pignus ad H. pertineat?

Reſpondeo: Pignus ad H. pertinere, ſi infra promiſſum tempus

non ſolvero, ita tamen, ut tunc res juſtô pretiô æſtimanda ſit, ratio eſt, quòd hoc caſu cenſeatur inita emptio venditio conditionalis, *juxta L. 10. §. fin. de pign. & hypoth.*

CASUS DCCCCXLV.

I. 40. Agens annum 10., in anno primo pecuniam mihi dedit mutuam, Titius, agens annum 10. pariter, mihi in anno ſecundo mutuum dedit, ex pecunia utriusque emi domum Tuſculanam, motô contra me concurſu I. concludit ad præferentiam, quæritur, an rectè? Reſpondeo: I. non rectè concludere ad præferentiam, ſiquidem ſi res non in totum ex nummis cujusdam comparata ſit, utriusque creditoris concurſus erit, *juxta L. 7. in princ. qui potiores in pignor.*

CASUS DCCCCXLVI.

K. 40. Condemnatus Annæ ex tutela, eidem omnia bona ſua obligavit in anno primo, K. in anno ſecundo levavit pecuniam à Fiſco, pariter omnium bonorum conſtitutâ hypothecâ, quæritur, an concurſu motô, Anna, an Fiſcus in ſententia graduationis ſit præferendus? Reſpondeo: Concurſu motô Annam in ſententia graduationis Fiſco præferendam eſſe, nam licèt Fiſcus regulariter in hypothecæ concurſu potior ſit, fallit tamen concluſio in conſtituta hypotheca ex cauſa tutelæ, *juxta L. fin. qui pot. in pign.*

CASUS DCCCCXLVII.

L. 40. Fundum ſibi à Mevio hypothecatum, 1. Martii in anno Imo publicæ haſtæ ſubjecit, & Judex Mevio terminum reluendi ad medium annum præfigit, Mevius ultimâ Martii moritur, relictô filiô minorenne hærede, filius in anno quarto contra diſtractionis terminum intentat remedium reſtitutionis, quæritur, an ſit audiendus? Reſpondeo: Filium minorennem, in anno quarto contra diſtractionis terminum remedium reſtitutionis intentantem, audiendum eſſe, ratio ſtat in minorennitatis favore, qui remedium reſtitutionis, etiam lapsò reluendi terminô, minori concedit, *juxta L. 7. §. 1. de diſtract. pignor.*

CASUS DCCCCXLVIII.

M. 40. Mancipium furioſum, aut lunaticum à me emit, intentat actionem, *quanti minoris*, & triumphat, quæritur, an deinde valeat redhibitoriam inſtituere? Reſpondeo: M. deinde redhibitoriam actionem

actionem inſtituere valere, licèt priùs intentatâ *quanti minoris* actione, ex eo, quòd mancipium furioſum, ſeu lunaticum adeò nullius ſit pretii, ut ne expediat quidem domino tale mancipium habere, *juxta L. 43. §. 6. de ædil. edict.*

CASUS DCCCCXLIX.

N. 40. Vendidit mihi fundum A. B. & C. uno inſtrumento 12000. imper., fundus A. mihi evincitur, quæritur, an N. teneatur mihi de evictione? Reſpondeo: N. mihi teneri de evictione, ſiquidem una eadémque emptio venditio eſt, licèt plures fundi venditi ſint, hinc emptor, vel unicô evictô, jure venditorem convenit, *juxta* L. 72. *de evict.*

CASUS DCCCCL.

O. 40. Rogatus reſtituere Titio, *quidquid poſt mortem illius ex hæreditate ſupererit*, fructus bonâ fide percepit, quæritur, an Titius, contra hæredem O. ad fructus agens, ſit audiendus? Reſpondeo: Titium, contra hæredem O. ad fructus agentem, audiendum eſſe, licèt enim fructus nominatim hoc caſu relicti non ſint, debentur tamen vi expreſſionis: *Quidquid poſt mortem ſupererit*, *juxta L. 3. §. 2. & 3. de uſur & fruct.*

CASUS DCCCCLI.

P. 40. Solvit tibi 1000. imper. indebitos 1. Martii in anno primo, in anno decimo P. contra te intentat condictionem indebiti, quæritur, an etiam ad præſtationem fructuum, ſeu uſurarum concludere poſſit?

Reſpondeo: P. etiam ad præſtationem fructuum, ſeu uſurarum concludere poſſe, ſicuti enim mora in mutuo inducit obligationem uſuras præſtandi, ſic etiam in indebito ob commiſſam moram uſuræ debentur, *juxta* L. 34. §. 2. *de uſur. & fruct.*

CASUS DCCCCLII.

Q. 40. Inſtituit contra me condictionem indebiti ad reſtituendos 1000., ego fateor 1000. acceptos, ſed nego indebitos, quæritur, cui Judex probationem debeat injungere, & qualem? Reſpondeo: Judicem debere Q. compellere ad probationem, quòd per dolum accipientis vel aliquam juſtam ignorantiæ cauſam indebitum ſolverit, qui enim

 ſolvit,

ſolvit, nunquam ita reſupinus eſt, ut facilè ſuas pecunias jactet, & indebitas effundat, maximè, ſi is, qui indebitum ſe dediſſe dicit, homo diligens ſit, & ſtudioſus paterf., *juxta L. 25. in princ. de probat.*

CASUS DCCCCLIII.

R. 40. Tranſegit mecum in præſentia Notarii, publicè inhabilis, & duorum teſtium, in ſummam 1000. imper., conventus in Judicio ad tranſactionis implementum, excipit inſtrumentum nullum eſſe, quæritur, poſsítne Judex pro tranſactionis valore pronuntiare? Reſpondeo: Judicem poſſe pro tranſactionis valore pronuntiare, quia ſi res, geſta ſine literarum conſignatione, veritate factum ſuum probet, non ideò minùs valebit, quòd inſtrumentum nullum de ea re intercedat, *juxta L. 5. de fide. inſtrum.*

CASUS DCCCCLIV.

S. 40. Advocatus in cauſa Mevii contra Titium, ab illo in teſtem producitur, quæritur, an, & quâ exceptione S. poſſit à teſtimonio repelli: Reſpondeo: S. exceptione præſtiti in eadem cauſa patrocinii à teſtimonio arceri poſſe, quia illicitum eſt, quòd patronus in cauſa, cui patrocinium præſtitit, teſtimonium dicat, *juxta L. fin. de teſtib.*

CASUS DCCCCLV.

T. 40. Fœmina hæres inſtituta in teſtamento, & legatis ultra dodrantem gravata, hìc Coloniæ integra legata exſolvit, ſciens ſibi quartam partem ſalvam non eſſe, quæritur, an, & quâ exceptione mulieri ſuccurri poſſit? Reſpondeo: Mulieri exceptione ignorantiæ Juris ſuccurri non poſſe, nam Juris ignorantia non prodeſt, ſi quis JCti copiam habeat, vel ſuâ propriâ ſcientiâ inſtructus ſit, *juxta L. 9. §. 3. de Jur. & fact. ignor.*

CASUS DCCCCLVI.

V. 40. Donavit tibi bona ſua, *ſi ſoror tua in extremis conſtituta, moriatur*, quæritur, qualis ſit donatio, & ad quem effectum? Reſpondeo: Eſſe donationem mortis causâ, ita tamen, ut bona V. reſtituenda ſint, caſu, quo ſoror convaluerit, ſiquidem mortis causâ capimus, non tunc ſolùm, dum quis ſuæ mortis causâ nobis donat, ſed & ſi propter alterius mortem id faciat, *juxta L. 18. de m. c. donat.*

C A-

CASUS DCCCCLVII.

W. 40. Obæratus debitor donavit Titio univerſam ſuam ſubſtantiam in creditorum fraudem, quæritur, an poſſit donationem jure revocare? Reſpondeo: W. donationem jure revocare non poſſe, quippe, ſi quis profiteatur, in fraudem alterius ſua bona donâſſe, & donationem perfecerit, ob inhoneſtam profeſſionem, donationem revocare non poteſt, *juxta L. 4. C. de revocand. Donat.*

CASUS DCCCCLVIII.

X. 40. Donavit mihi prædium Tuſculanum, eâ lege, ut illud 10. annis habeam, & deinde reſtituam Mevio, quæritur, an me, prædium poſt 10. annos reſtituere detrectantem, Mevius poſſit, & quâ actione convenire? Reſpondeo: Mevium me convenire poſſe condictione ex lege, ſaltem utili, quia donatio ſub modo hoc caſu inita eſt, proindéque æquitati conſentaneum, ut tempore lapſo in alium, quem donator honorare intendit, donationis beneficium tranſeat, *juxta L. 3. C. de donat. quæ ſub modo.*

CASUS DCCCCLIX.

Y. 40. Mihi bona ſua donavit, ut creditoribus ejus ſatisfacerem, quæritur, quam is contra me, donatione acceptatâ, ſatisfacere renuentem, habeat actionem? Reſpondeo: Y. contra me, donatione acceptatâ, ſatisfacere renuentem, habere actionem *præſcriptis verbis*, ad donationis implementum, quia juſtum eſt, ut is voluntati illius ſe conformet, à quo beneficium accepit, *juxta L. 9. C. de donat.*

CASUS DCCCCLX.

Z. 40. Emit à me mancipium, illúdque per 30. annos poſſedit, mancipium ad libertatem reclamat, Z. mihi litem denuntiat, mancipium liberum declaratur, Z. me convenit in Judicio ad evictionem, ego oppono exceptionem præſcriptionis 30. annorum, quæritur, an mea exceptio ſit legibus conformis? Reſpondeo: Exceptionem meam legibus conformem non eſſe, cùm enim actio ad evictionem ante ſententiam declaratoriam nondum nota fuerit, licèt poſt multa ſpatia rem evictam emptori, fuerit comprobatum, prædicta exceptio admittenda non eſt, *juxta L. 29. C. de Evict.*

CASUS DCCCCLXI.

A. 41. Hæres Titii, putativi fidejuſſoris, promittit per chyrographum creditori, ſe fidejuſſioni, per defunctum interpoſitæ, ſatisfacturum, quæritur, an, & qualem A. ex fidejuſſione conventus, habeat exceptionem? Reſpondeo: A. ex fidejuſſione conventum, habere exceptionem doli mali, hoc caſu enim dolô inductus eſt ad promittendum, ſe fidejuſſioni, per defunctum interpoſitæ, ſatisfacturum, cùm Titius fidejuſſor non fuerit, *juxta L. 15. de Fidejuſſ.*

CASUS DCCCCLXII.

B. 41. Dedit mihi mutuam ſummam 1000. Imper., primus, ſecundus, & tertius interpoſitâ ſtipulatione mihi ſpondent, hanc ſummam reſtituere, ſecundus & tertius, in judicio conventi, opponunt exceptionem non numeratæ pecuniæ, quæritur, an exceptio ſit fundata? Reſpondeo: Exceptionem fundatam non eſſe, ſiquidem propter mutuum uni datum, aliis reis promittendi factis, ob non numeratam pecuniam, obligationem remitti, Jura refragantur, *juxta L. 4. C. de duobus reis ſtipulandi.*

CASUS DCCCCLXIII.

C. 41. Stipulatione interpoſitâ uxori ſuæ Meviæ promiſit dimidiam dotem reſtituere, ut in caſum, quo moreretur, eandem relinqueret, cui vellet, Mevia nullâ conditâ diſpoſitione diem obit, quæritur, an ſtipulatio ſit cum effectu? Reſpondeo: Stipulationem cum effectu eſſe, & dimidiam partem dotis ad hæredes uxoris devolvi, quia in horum favorem tacitam cenſetur diſpoſitionem celebrâſſe, *juxta L. 4. C. de contrah. vel committ. ſtipulat.*

CASUS DCCCCLXIV.

D. 41. Creditor pignoratitius, ob moram debitoris, neque capitale, neque uſuras ſolventis, procedit ad pignoris diſtractionem, debitor denuntiat creditori, ne vendat, creditor nihilominùs pignus diſtrahit, quæritur, an diſtractio teneat? Reſpondeo: Diſtractionem tenere, nam cùm creditor pignus vendiderit, non poteſt videri litigioſæ rei emptio contracta, etſi debitor interdicat, ne venditio perficiatur, ratio eſt mora, quam debitor in ſolvendo committit, & ſecuritas creditori præſtanda, *juxta L. 1. C. de Litig.*

C A-

CASUS DCCCCLXV.

E. 41. A me ex poſſeſſione fundi cum violentia dejectus, me abſente, poſſeſſionem occupat, ego, poſt annum à tempore commiſſæ violentiæ reverſus, intento interdictum: *Uti poſſidetis*, D. excipit poſſeſſionem violentam eſſe, ego replico, huic exceptioni, poſt annum ob interdicti, *unde vi*, annalitatem, locum non eſſe, quæritur, quis ſit in cauſa triumphaturus? Reſpondeo: D., non autem me, in cauſa triumphaturum eſſe, quia, licèt interdictum, *unde vi*, ultra annum locum non habeat, tamen exceptione perpetuâ ei ſuccurri, qui per vim expulſus pòſt retinuit poſſeſſionem, authoritate Juris manifeſtatur, *juxta L. 5. C. de Except. ſeu Præſcript.*

CASUS DCCCCLXVI.

F. 41. Pignus ab uxore Titii conſtitutum, valens 1000., dolosè vendidit 800. Mevio, quæritur, an Mevius, fraudis conſcius, poſſit ab uxore ad pignoris reſtitutionem conveniri? Reſpondeo: Mevium fraudis conſcium, ab uxore ad pignoris reſtitutionem conveniri poſſe: ita, ut pretium ſuum recipiat, quia bona fides, quæ contractui emptionis venditionis ineſt, non patitur, ut dolus in illius celebratione locum habeat, *juxta L. 93. C. ſi vendit. pign. agat.*

CASUS DCCCCLXVII.

G. 41. Pecuniam, ad uxorem pertinentem, mutuam accepit à Titio marito, pignore pro ſecuritate conſtitutô, quæritur, an uxor jure poſſit ad diſtractionem pignoris agere? Reſpondeo: Uxorem ad diſtractionem pignoris, proprio nomine faciendam, agere non poſſe, quia, licèt pecunia mariti non ſit, ejus nomine tamen mutuata eſt, & per conſequens maritus tantùm ſibi Jus ad rem quæſiviſſe præſumitur, *juxta L. 19. C. de Diſtract. pignor.*

CASUS DCCCCLXVIII.

H. 41. Debet mihi 1000. ex anno primo mutuos, pignore datô, & alios 1000. ex ſtipulatu, nullô pignore conſtitutô, & Mevio 1000. ex anno ſecundo ob emptionem venditionem, placitâ generali omnium bonorum hypothecâ, Mevius offert 1000. mutuos, & agit ad pignoris extraditionem, quæritur, an, & qualem ego habeam exceptionem?

Reſpondeo: Me habere exceptionem doli mali, quem Mevius in

hoc caſu intendit, offerendo mihi pecuniam, quæ ſub pignore debetur, non oblatâ illâ, in cujus ſecuritatem pignus conſtitutum non eſt, *juxta L. un. C. Etiam ob Chyrog. Cauſ. pig. teneri poſſe.*

CASUS DCCCCLXIX.

I. 41. Habens prædium Tuſculanum pro pignore generali & ſpeciali, conſentit in illius diſtractionem, diſtractione celebratâ, Tuſculanum aliô legitimo titulo revertitur ad debitorem, quæritur, an Jus pignoris reviviſcat? Reſpondeo: Jus pignoris non reviviſcere, ex ratione, quòd, qui ſemel conſentit alienationi hypothecæ, & hoc modo ſuum Jus reſpuit, indignus ſit eandem rem, utpote ab initio ei ſuppoſitam, vindicare, aut tenentem inquietare, *juxta L. ult. C. de Remiſſ. Pign.*

CASUS DCCCCLXX.

K. 41. Uxori ſuæ Cajæ pro ſecuritate dotis pignus dedit, Mevio creditori ſe pariter obligavit, & Sempronio ex mutuo debet 1000., Mevius & Sempronius agunt contra Cajam, vel ad ſatisfactionem, vel ad pignoris extraditionem, quæritur, an, & quomodo Mevius & Sempronius agere valeant? Reſpondeo: Mevium & Sempronium non aliter agere poſſe contra Cajam, quam debitum offerendo, nam Chyrographarios creditores nec in rem, nec in perſonam eos, qui debitori non probantur ſucceſſiſſe, ullâ ratione convenire poſſe, manifeſtum eſt, *juxta L. 10. C. Qui potior. in pign.*

CASUS DCCCCLXXI.

L. 41. Dedit mihi pignori pratum, ego offero pecuniam, & intendo reluere pratum, quæritur, an, & quale mihi contra K., nolentem pecuniam acceptare, competat remedium?

Reſpondeo: Mihi contra K., nolentem pecuniam acceptare, competere remedium conſignationis & depoſitionis ad effectum pignus recuperandi, *juxta L. 20. de Pignor. & Hypoth.*

CASUS DCCCCLXXII.

M. 41. Conductor fundi Corneliani, ad Titium, peregrè profectum, ſpectantis, à Mevio turbatur in Juris ſui exercitio, L. con-

tra Mevium intentat interdictum *unde vi*, quæritur, an Jure?

Reſpondeo: M. contra Mevium Jure intentare interdictum, *unde vi*, quia æquitati conſentaneum eſt, ut Judex quolibet demum modô profecti perſonam tueatur, inquirendo, an ejus poſſeſſio ablata ſit, quam propinquus, vel parens, vel etiam colonus quolibet titulo retinebat, *juxta L. 1. C. ſi per vim. aut alio modo.*

CASUS DCCCCLXXIII.

N. 41. Vim in domo ſua paſſus, rebus ſuis mobilibus ſpoliatus eſt, quæritur, an ſi N. ſingulas res amiſſas non poſſit comprobare, aliquo medio, & quo eidem poſſit ſubveniri? Reſpondeo: Si N. ſingulas res amiſſas non poſſit comprobare, eidem remedio juramenti æſtimatorii ſubveniendum eſſe, ita, ut quod jure jurando hôc præſtitô fuerit declaratum, in id Judicem condemnare oporteat, ratio eſt, quòd alius modus non detur in his circumſtantiis litem dirimendi, *juxta L. 9. C. unde vi.*

CASUS DCCCCLXXIV.

O. 41. Hæredem ſcripſit patrem meum, & hæreditatem legatis exhauſit, pater agnoſcit bonorum poſſeſſionem, & moritur, legatarii propriâ authoritate res legatas occupant, ego contra eoſdem experior in Judicio, quæritur, an rectè, quali remediô, & ad quem effectum?

Reſpondeo: Me contra legatarios rectè experiri in Judicio interdicto: *quod legatorum*, ad effectum, ut mihi liceat legata repetere, ad quartam ex illis detrahendam, ratio eſt, quòd interdictum præfatum in favorem qualiscunque hæredis introductum ſit, ne locus fiat teſtamento deſtituto, *juxta L. un. C. quod legat.*

CASUS DCCCCLXXV.

P. 41. Proximior conſanguineus uxoris Titii, contra Titium maritum, corpora hæreditaria, ad defunctam uxorem pertinentia, poſſidentem, intentat interdictum, Titius excipit, ſe corporum illorum dominum eſſe, quæritur, quale interdictum intentatum ſit, & an per exceptionem eliſum? Reſpondeo: Interdictum, *quorum bonorum*, intentatum eſſe, quin illiquidâ exceptione obmotâ eliſum, etenim conſtat virum à bonis inteſtatæ uxoris, ſuperſtitibus conſanguineis, eſſe extraneum, cùm prudentum omnium reſponſa, & lex ipſa naturæ ſucceſſores illos denominent, *juxta L. ult. C. quor. bon.*

CASUS DCCCCLXXVI.

Q. 41. Obæratus debitor, filiæ Cajæ dote conſtitutâ, eâdémque hærede inſtitutâ, deceſſit, Caja à patris hæreditate abſtinet, creditores contra eandem agunt ob dotem acceptam, quæritur, an Jure? Reſpondeo: Creditores Jure non agere ad dotem acceptam, quia abſtinentia ab hæreditate paternâ *regulariter* filiam excuſat, niſi, bonis defuncti non ſufficientibus, in fraudem creditorum dos conſtituta probetur, *juxta L. 2. C. de revocand. his, quæ in fraud. credit.*

CASUS DCCCCLXXVII.

R. 41. Pro me Reipublicæ, vel Fiſci debitore, ſolvit 1000., Judex in R. transfert privilegium Fiſci, quæritur, an ſicuti Fiſcus omnibus creditoribus, ſaltem poſterioribus, eſt præferendus, ita & R. præponi debeat? Reſpondeo: R. præponi debere, ſicuti Fiſcus omnibus creditoribus, ſaltem poſterioribus præferendus eſt, quia æquitati vel maximè correſpondet, ut is commodum illius ſentiat, cujus onus in ſe ſponte ſuſceperat, *juxta L. ult. C. de privil. Fiſci.*

CASUS DCCCCLXXVIII.

S. 41. Maritus mulieri ex anno primo debet 1000. ob cauſam dotis, & Reipublicæ pariter 1000., contra S. inſtituitur concurſus creditorum, quæritur, an mulier Fiſco, aut Fiſcus mulieri ſit anteferendus? Reſpondeo: Mulierem Fiſco, non autem Fiſcum mulieri præferendum eſſe, quia ceſſat Fiſci privilegium caſu, quo mulieri bona mariti, antequam cum Fiſco agatur, pro dote obligata ſunt, tunc enim uxor ratione prioritatis temporis ante Fiſcum præferentiam habet, *juxta L. 2. C. de Privil. Fiſci.*

CASUS DCCCCLXXIX.

T. 41. Debet mihi 1000., & moritur, convenio illius hæredem, non exiſtentem ſolvendo, quæritur, an, motô contra hæredem concurſu, ego poſſim beneficiô ſeparationis uti, aut an creditores hæredis poſſint mihi exceptionem novationis objicere? Reſpondeo: Me, motô contra hæredem concurſu, ſeparationis beneficiô uti poſſe, quin creditores hæredis poſſint mihi novationis exceptionem objicere, quippe eſt Jurisdictionis tenor promptiſſimus, indemnitatisque remedium

edictô Prætoris creditoribus hæreditariis demonſtratum, ut quoties ſeparationem bonorum poſtulant, causâ cognitâ impetrent, *juxta L. 2. C. de Bon. auth. Jud. poſſ.*

CASUS DCCCCLXXX.

V. 41 Judex Titium, Notarium Judicii, ob perperam geſtum officium punit, quæritur, an Titius poſſit appellare? Reſpondeo: Titium Notarium appellare non poſſe, ſiquidem nulli Officialium à ſententia proprii Judicis provocatio tribuitur, niſi in eo tantùm negotio, quod ratione civili ſuper patrimonio fortè apud proprium Judicem inchoaverit, *juxta L. 3. C. quor. appell. non recip.*

CASUS DCCCCLXXXI.

W. 41. Petiit ſe fundi Tuſculani dominum declarari, reúmque ad fructus reſtituendos conſtringi, & in expenſas condemnari, Judex actorem declarat fundi dominum, reus appellat, quæritur, an actor in Judicio appellatorio quoad fructus & expenſas poſſit triumphare?

Reſpondeo: Actorem in Judicio appellatorio quoad fructus & expenſas triumphare poſſe, quia Judices perſpicere oportet, adjuvandum eſſe victorem fructuum perceptione, etiam ſine illius provocatione, atque ſimul juſtam ſumptuum quantitatem determinare, *juxta L. ult. C. quand. provoc. non eſt neceſſe.*

CASUS DCCCCLXXXII.

X. 41. Deductâ in Judicium 1mæ inſtantiæ obligatione ex mutuo, per Mevium reum diffeſsâ, defecit in probatione, tentatâ per inſtrumentum, & condemnatus appellavit, in altera inſtantia producit teſtes, & agit inſuper actione ex ſtipulatu, quæritur, quomodo Judex ſit pronuntiaturus? Reſpondeo: Judicem pro appellante X. in puncto mutui pronuntiaturum eſſe, quia licet tam Appellatori, quàm adverſæ parti, novis aſſertionibus, vel exceptionibus uti, quæ non ad novum Capitulum pertinent, ſed ex illis oriuntur, illisque conjunctæ ſunt, quæ apud anteriorem Judicem noſcuntur propoſitæ, ſi & ſimul probationes apud ſacros Cognitores ſine procraſtinatione præberi poſſint, *juxta L. 4. C. de temp. & repar. appell.*

CASUS DCCCCLXXXIII.

Y. 41. Appellavit à ſententia ſibi contraria, Judex appellationem rejicit, Y. denuò provocat, Judex ad executionem ſententiæ (ante appellationis introductionem tamen) procedit, quæritur, an jure? Reſpondeo: Judicem jure non procedere ad ſententiæ executionem, appellatione enim interpoſitâ, licèt à Judice repudiata ſit, in præjudicium deliberationis nihil fieri debet, & in eo ſtatu omnia eſſe, quo tempore pronuntiationis fuerunt, *juxta L. 3. C. de appell.*

CASUS DCCCCLXXXIV.

Z. 41. Debens mihi 1000. ex contractu, relictis 10. hæredibus, moritur, primus ſolvit 100., alios, detrectantes ratam ſolvere, convenio in judicio, quæritur, an, & qualem habeant exceptionem? Reſpondeo: Cæteros hæredes, à me ad ratam ſolvendam conventos, habere exceptionem *rei inter alios actæ*, & ſibi per conſequens non præjudicantis, quippe inter alios res geſtas aliis non poſſe præjudicium facere, ſæpe conſtitutum eſt, unde, licèt Z. unum de hæredibus ejus, quem debitorem ſuum fuiſſe aſſignat, ſolviſſe commemoret, tamen cæteri non aliter ad ſolutionem urgeri queunt, quàm ſi debitum probatum fuerit, *juxta L. 1. C. inter alios act. vel jud.*

CASUS DCCCCLXXXV.

A. 42. Conventus à me petitione hæreditatis, teſtamentum producit, & abſolvitur, ego provoco ad Judicium, oſtenſurus teſtamenti falſitatem, quæritur, an ſim audiendus?

Reſpondeo: Me provocantem ad Judicium, teſtamenti falſitatem oſtenſurum, audiendum eſſe, quia ſi tabulas teſtamenti, quas Judex ſecutus ſententiam dixit, falſas quis edicere velit, Judex præbebit notionem ſuam, non obſtante præſcriptione rei judicatæ, eò quòd nondum de falſo quæſitum fuerit, *juxta L. 1. C. ſi ex falſ. inſtrum.*

CASUS DCCCCLXXXVI.

B. 42. Frater meus cauſam meam, me abſente in Judicio agit, & ob non probatam intentionem ſuccumbit, quæritur, an, ſententia

tentiâ in rem judicatam prolapſâ, ſim audiendus? Reſpondeo: Me, ſententiâ in rem judicatam prolapsâ, audiendum eſſe, quia, ſi quis non mandavit fratri ſuo rei ſuæ defenſionem, neque quod geſtum eſt, ratum habuit, præſcriptio rei judicatæ ipſi non obeſt, & ideò non prohibetur cauſam ſuam agere ſine præjudicio rerum judicatarum, *juxta L. 1. C. quib. res jud. non nocet.*

CASUS DCCCCLXXXVII.

C. 42. Appellat à ſententia, ipſum condemnante ad exſolvendum pretium, per contractum emptionis venditionis placitum, currente termino ad appellationem introducendam, petit à creditore dilationem, & obtinet, quæritur, an nondum lapſis fatalibus appellationis, hanc introducere poſſit? Reſpondeo: C. nondum lapſis fatalibus appellationis, hanc introducere non poſſe, ratio eſt, quia ad ſolutionem dilationem petentem, acquieviſſe ſententiæ manifeſtè probatur, ſicut eum, qui quolibet modo ſententiæ acquieverit, nec enim inſtaurari finita rerum judicatarum patitur authoritas, *juxta* L. *5. C. de re judicat.*

CASUS DCCCCLXXXVIII.

D. 42. Conventus in Judicio actione rei vindicatoriâ ad fundi Tuſculani deoccupationem, unà cum fructibus & omni causâ, litem negativè eſt conteſtatus, fundum autem colere neglexit per tres annos, quæritur, qualis ſententia à Judice ſit ferenda? Reſpondeo; D. in Judicio conventum, non tantùm in fructus perceptos, ſed etiam, quos à tempore libelli, per citationem inſinuati, percipere potuiſſet, à Judice condemnandum eſſe, quia litigator victus non tantùm fructuum præſtationem, quos ipſe percepit, agnoſcat, ſed etiam eos, quos percipere potuiſſet, exſolvat, ex eo tempore, ex quo re in Judicium deductâ, ſcientiam m. f. poſſeſſionis accepit, *juxta L. 2. C. de fruct. & lit. expenſ.*

CASUS DCCCCLXXXIX.

E. 42. Præſtitit mihi patrocinium in Judicio rei vindicationis contra Mevium, ſuſtinuitque, me eſſe fundi Tuſculani dominum, ego poſſeſſionem continuo per 10. annos inter præſentes, anno 11. E. inſtituit contra me rei vindicationem, ego oppono exceptionem præſcriptionis, quæritur, an exceptio ſit legibus conformis? Reſpondeo: Exceptionem legibus conformem non eſſe, quia petentem dominium ab

eo, cui petentis ſolus error cauſam poſſeſſionis ſine vero titulo præſtitit, ſilentii longi temporis præſcriptione non repelli, Juris evidentiſſimi eſt, *juxta* L. 5. *C. de præſcript. long. temp.*

CASUS DCCCCXC.

F. 42. Emit prædium per Procuratorem à 10. annis poſſeſſum, in anno 12mo venditor agit ad prædii deoccupationem, eo quòd prædium propriâ authoritate ingreſſus ſit, productô inſtrumentô emptionis venditionis, nullam traditionis faciente mentionem, quæritur, quis ſit in cauſa triumphaturus? Reſpondeo: Emptorem in cauſa triumphaturum eſſe, nam licèt inſtrumentô non ſit comprehenſum, quòd emptori tradita ſit poſſeſſio, ipsâ tamen rei veritate eam conſecutus eſt, dum ſciente venditore fundum longô tempore poſſedit, *juxta L. 2. C. de acquir. & retin. poſſ.*

CASUS DCCCCXCI.

G. 42. Inſtituit hæredem Mevium, eundémque rogavit, *quatenus Reipublicæ 10000. poſt annos 20. reſtituat*, Mevius fit non ſolvendo, quæritur, an adminiſtrator Reip. ob non exactam cautionem teneatur? Reſpondeo: Adminiſtratorem Reipublicæ ob non exactam cautionem teneri, ſiquidem contra eos, ſive ſucceſſores eorum, qui Rempublicam adminiſtrantes, per officii neceſſitatem Civitati ſub conditione relicti fideicommiſſi ſatis accipere debuerunt, quantí Reipublicæ intererit, ſatis acceptum non eſſe, dirigendam certum eſt actionem, *juxta L. ult. C. ut in poſſeſſ. legat. vel fideicom.*

CASUS DCCCCXCII.

H. 42. Reliquit Titio fundum Tuſculanum in codicillis, & obiit inteſtatus, deinde moritur Titius ignorans legatum ſibi relictum eſſe, quæritur, an frater Titii legatum poſſit petere? Reſpondeo: Fratrem Titii legatum petere poſſe, ſalvâ tamen ab inteſtato ſuccedenti quartâ portione, quia hoc caſu frater, Titium repræſentans, in jura ejus ſuccedit, *juxta L. ult. C. quan. dies legat. vel fideicom. cedit.*

CASUS DCCCCXCIII.

I. 42. Duos filios inſtituit hæredes, & primum rogat, ut ſi ſine liberis deceſſerit, ſecundo reſtituat hæreditatem, primô ſine liberis mortuô, hæredes ſunt ſecundus & communis ſoror, ſecundus petit à ſorore fideicommiſſum præſtandum ſine detractione quartæ, quæritur, quid Juris? Reſpondeo: Secundum, petentem à ſorore fidei-

com-

commiſſum ſine detractione quartæ, audiendum non eſſe, quanquam enim pater primum rogaverit, ut, ſi ſine liberis obiérit, portionem hæreditatis ſecundo reſtitueret, tamen inteſtatô eo diem ſuam functô, id, quod beneficio legis falcidiæ habere potuit, ad ſucceſſorem inteſtati pertinere, adeóque non immeritò ſororem, quæ ſimul cum ſecundo ab inteſtato ei ſucceſſit, emolumenti, quod retinere potuit, portionem ſibi vindicare, manifeſtum eſt, *juxta L. 10. C. ad falcid.*

CASUS DCCCCXCIV.

K. 42. Aviam & fratrem ſuum hæredes inſtituit, eâ lege, *ut, ſi avia hæres non fuerit, frater hæres ſit*, aviâ rogatâ, ut hæreditatem aditam reſtituat Mevio, quæritur, an hæreditate ab avia repudiatâ, & ex præcepto Prætoris aditâ, Mevius poſſit fideicommiſſum à fratre teſtatoris petere? Reſpondeo: Mevium fideicommiſſum à teſtatoris fratre petere poſſe, quia etiam à ſubſtitutis fideicommiſſum debetur, contemplatione Judicii teſtatoris, quaſi tacitè ab his repetitum, deinde non decet aviam ex calliditate conſequi beneficium, quam hæreditatem repudiando, admiſit, *juxta L. 4. C. ad SCtum Trebell.*

CASUS DCCCCXCV.

L. 42. Legavit Mevio prædium Tuſculanum, *ut filiam teſtatoris in uxorem ducat*, Mevius ante nuptias moritur, quæritur, an legatum agnitum hæres Mevii petere poſſit? Reſpondeo: Hæredem Mevii legatum agnitum petere non poſſe, quia hoc caſu legatum ſub modo relictum adimpletum non cenſetur, eo quòd ex parte defuncti Mevii impedimentum, ſeu caſus intervenerit, *juxta L. 4. & ult. C. de condit. inſert.*

CASUS DCCCCXCVI.

M. 42. Duos filios ſuos hæredes inſtituit, primum rogat, *ut, ſi ſine liberis deceſſerit, fratri hæreditatem reſtituat*, primus ſine liberis moritur, uxore ſcriptâ hærede, deinde obit ſecundus ante fideicommiſſum petitum, quæritur, an ſecundi filius poſſit fideicommiſſum petere? Reſpondeo? Filium ſecundi fideicommiſſum ab uxore primi petere poſſe, quoniam deficientibus aſcendentibus hæreditas Jure devolvitur ad deſcendentes, *juxta L. 21. C. de Fideicom.*

CASUS DCCCCXCVII.

N. 42. Primum & ſecundum hæredes ſcribit & primo legat fundum Tuſculanum, quæritur, an primo, hæreditatem repudianti, legatum ſit præſtandum? Reſpondeo: Primo, licèt hæreditatem repudian-

ti, legatum præſtandum eſſe, quia abſtinentia ab hæreditate non impedit, quo minùs legatarius eſſe poſſit, *juxta L. 12. C. de legat.*

CASUS DCCCCXCVIII.

O. 42. Quatuor inſtituit hæredes, primum, ſecundum, tertium, & quartum, primus volens cum ſecundo ſolus ſuccedere impugnat teſtamentum ex capite falſitatis, & deinde cum reliquis tranſigit, quæritur, an, ut indignus portionem ſuam amittat? Reſpondeo:

Primum, ùt indignum, portionem ſuam non amittere, etenim alia cauſa eſt ejus, qui falſi inſtitutâ accuſatione ad finem uſque, quod inſimulabat, perduxit, & contrariam ſententiam meruit, *juxta L. 2. & 8. C. de his quib. ut indig.*

CASUS DCCCCXCIX.

P. 42. Adit hæreditatem Titii, & intentat rei vindicationem contra Mevium, aliquarum rerum hæreditariarum detentorem, quæritur, an jure? Reſpondeo: P. contra Mevium, aliquarum rerum hæreditariarum detentorem jure intentare rei vindicationem, quia ſi quis alteri civili vel honorariô ſucceſſit jure, licèt res ex alterius bonis deſcendentes non probetur tenuiſſe, hæres tamen effectus contra poſſidentes experiri poteſt, *juxta L. 14. C. de Jure delib.*

CASUS M.

Q. 42. Ita cavit teſtamentô: *Titius & Mevius, filii mei impuberes, hæredes mei ſunto; & ſi uterque impubes deceſſerit, Cajus hæres eſto*, quæritur, an, Titio impubere mortuo, Cajus ſtatim hæres ſit? Reſpondeo: Titio impubere mortuo Cajum ſtatim hæredem non eſſe, ſubſtitutio enim tunc demùm locum habet, cùm uterque impubes deceſſerit, quoniam præſumitur, patrem cogitâſſe, primô filiô decedente, fratrem ſuum in ejus portionem ſuccedere, *juxta L. 10. C. de impub. & aliis ſubſtit.*

FINIS.

BINDING SECT. JAN 23 1975

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY